

DE ORIGINE ET COMPOSITIONE
SURARUM QORANICARUM
IPSIUSQUE QORANI

SCRIPSIT

THEODORUS NOELDEKE

LINGENSIS.

COMMENTATIO IN CONCERTATIONE

CIVIUM

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

IV. JUNII MDCCCLV

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE PRAEMIO
REGIO ORNATA.

GOTTINGAE, MDCCCLVI.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

VIRO DOCTISSIMO CLARISSIMO

FRIDERICO WIESELER

DR. PHIL. PROF. P. O.

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

QUA DECET PIETATE,

D. D. D.

AUCTOR.

P R A E F A T I O.

Philosophorum ordo de hac commentatione ita judicavit:

«Auf die ausserordentliche Aufgabe:

Inquiratur in originem et compositionem atque ordinem
Surarum Qoranicarum ipsiusque Qorani,

ist eine Arbeit mit dem Motto: i secundis omnibus, eingelaufen, der die Facultät den Preis ertheilen zu können glaubt. Denn wie wohl dieselbe den schwierigsten Theil der Frage nicht nach allen Seiten hin richtig löst, so behandelt sie doch die Hauptsache mit so viel wissenschaftlicher Fähigkeit, tieferer Sachkenntniss und sprachlicher Sicherheit, dass sie jener Belohnung völlig würdig erscheint; und werden nur vor dem Abdruck noch einige Schreib- oder Redefehler zu verbessern und einige Nachträge zu machen sein.

Quo judicio facto, libellum, quantum potui, emendare studui; in qua re magno mihi auxilio fuerunt codices Ibn Hishâmi et Ibn Sâdi, quos Vir Clarissimus Wüstenfeld, ab ipso accuratissime descriptos, summa humanitate mihi suppeditavit. Ex quibus Ibn Hishâmi codex continet res, usque ad quartum annum, post Fugam transactum, a M. gestas; codex Ibn Sâdi paulo amplior est. His libris quanquam, libello meo jam imprimi coepto, quum eos acciperem, non ita uti potui, ut fecissem, si eos antea accepissem, tamen, eos non sine fructu fuisse, existimo. Itaque nihil antiquius habeo, quam ut Viro Doctissimo etiam palam maximas gratias agam.

Litteras Arabicas Latinis expressurus, lineola superimposita aspirationem, lineola supposita majorem pronuntiandi vim significo. Itaque \bar{h} est = $\bar{ه}$, \bar{t} = $\bar{ط}$, \bar{s} = $\bar{ص}$, \bar{d} = $\bar{د}$; \bar{l} = $\bar{ل}$, \bar{d} = $\bar{ذ}$. Sed pro k = $\bar{ق}$ et pro \bar{t} = $\bar{ط}$ simplicius q et z posui. Praeterea z est = $\bar{ز}$, \bar{g} = $\bar{ج}$, \bar{g} = $\bar{ج}$, \bar{g} = $\bar{ج}$, \bar{h} et Hamza, ubi exprimuntur, redduntur signis $\bar{}$ et $\bar{}$ (ut i Taif). Vocales $\bar{}$ $\bar{}$ $\bar{}$ semper reddidi simplicibus a , i , u . exceptis paucis nominibus notissimis, quorum scriptionem usu receptam mutare non ausus sum (ut 'Onar, Qorânus, Mekka). Terminationem $\bar{}$ frequentissimam expressi simplici a , Latine declinato; pro $\bar{}$ et $\bar{}$ posui $\bar{}$.

Ita quum paene nimis anxie litteras Arabicas Latinis exprimere studuerim, doleo, quod non satis curavi, ut nomina articulo instructa recte scriberem; quo factum est, ut nonnunquam legatur Valid pro Alvalid etc.

Scribendi compendiis his utor:

M. = Muhammed.	Q. = Qorānus.
Ab. = Abū'lfeda, ed. Noel des Vergers.	Ab. (Rske.) = Abulfedae annales ed. Reiske et Adler.
B. = Baidāvī (ed. Fleischer).	C. d. Percev. = Essai sur l'histoire des Arabes par Caussin de Perceval.
G. vel G. = Galāl addīn.	Ggn. = Vie de Mahomet par Gagnier.
Mar. = Maraccius.	Mēm. = Mémoires de l'académie des inscriptions.
Mishk. = Mishkāt al masābih; in linguam Anglicam versa a Matthew, (Calcutta 1809).	Nav. = Navavī, ed. Wüstenfeld.
Not. et extr. = Notices et extraits des manuscrits etc.	S. = The Koran by G. Sale.
Weil. M. = Mohammed v. G. Weil.	Spr. = The life of Muhammad by A. Sprenger, Allahabad 1851.
	Weil, R. = Einleitung in den Koran v. G. Weil.

Qorānum laudans utor editione Flügeliāna. Ex historicis semper laudo Weiliūm, Abū'lfedā'um et in rebus, ante Fugam gestis, Sprengerum. Ex ceteris hunc rarius, illum saepius testem cito.

Ceterum viros doctos rogo et oro, ne hujus opusculi acerbiores sint censores, sed respicientes aetatem nostram juvenilem, operae, quam in illo collocavimus, propitii sint.

Scribebam Gottingae a. d. III Non. Martias.

PARS PRIOR. DE ORIGINE QORĀNI.

I. DE MUHAMMĒDIS PROPHETIA ET ORACULIS.

A. DE MUHAMMĒDIS PROPHETIA.

Quanquam recentiore aetate complures homines docti atque ingeniosi justius de M. judicarunt, quam Christiani priorum temporum, qui eum ad unum omnes vatem vanum et fallacem habebant, quum tamen etiam nunc sint, qui eum magis ambitione, quam divino mentis instinctu impulsum fuisse censeant, maxime hoc tenendum est, M. non modo probum et honestum, sed etiam re vera prophetam fuisse. Nam ex hac re prophetam cognoscimus, quod, postquam totus ejus animus quasi occupatus et impletus est sententia aliqua vera ac divina, velut numine coelesti agatur, facere non potest, quin etiam aliis hominibus ea probare studeat, quae ipse babeat cognita atque perspecta ¹⁾. Nonne hoc cernimus in M.? Etenim hic diu vixerat inter populares, quum subito altiore quadam vi excitatus (بُعِثَ) et ad ceteros homines missus est (أُرْسِلَ), quos moneret, ut id, quod ab ipso deo accepisset, verum haberent. Haec autem fuit ea sententia, quae est pars prima et optima totius Islāni, quae profecto digna est, cui quis divulgandae totam vitam dedat. Nam quum primum, *deum unum esse*, intellexisset, mente ita incitatus est, ut divino spiritu inflatus, quanquam initio timido erat animo et quasi invitus ad opus faciendum se contulit, tamen in summa pericula se inferret, ut ceteros hoc doceret. An unquam homo tam mali ingenii, quam eum fuisse affirmant plerique scriptores Christiani, pro tali causa vitam et famam in discrimen obtulit?

Sed videamus, qualis M. fuerit, antequam prophetae munus suscepit. Qua de re quanquam iis, quae narrant Muslimi, omnia nimis augentes, non magnam fidem habemus, tamen constat, M. ante Missionem ²⁾ pro-

1) Cfr. prolegomena libri Ewaldiani, qui est de prophetis V. T.

2) Licet hoc verbo Arabicum مَبْعُوثٌ reddere.

bum hominem habitum esse, qui a mendaciis ita abhorreret, ut »Fidelis« (الأمين) cognomen acciperet ¹⁾. Neque vero juvenili ambitione motus esse potest, ut prophetae personam ageret, quum 40 annos natus propheta factus sit. Et qui fieri potest, ut is qui ambitione captus sit, postquam meditandi causa diu in solitudine vixerit, id faciendum sibi proponat, quod popularibus ludibrio futurum esse, facile intelligere possit. Sed M., spem certam in deo repositam habens, non modo acerbissimam cavillationem et vexationem ab iis accipiebat, quibus amicus fuerat, sed etiam saepius in capitis discrimen adducebatur. Qui si vel ab inimicis occisus vel in pugna confossus esset, certe, si hoc ad Christianorum aures pervenisset, omnes uno ore eum laudibus extulissent, qui pro veritate mortem subiisset.

Sed optime, Muhammedi ea, quae doceret, maxime persuasa fuisse, intelligimus e Qoráno. Nam quum summos cruciatus describit, quibus afficiantur impii, quum exclamat: »vae mendacibus!«, quum se ipsum, nisi totum munus exsequeretur, graves poenas daturum dicit ²⁾: num haec omnia putas inania verba, quorum vi audientis quidem sed non loquentis animus gravissime commoveatur? Quae quum ita sint, eum, qui Q. sine opinionibus temere conceptis diligenter legat, sine dubio, M. divino instinctu concitatum fuisse intelliget.

Huc accedit, quod non modo in universa multitudine eorum, qui M. sequebantur, plurimi erant homines probi et prudentes, sed quod etiam ex iis, quibus primis, se a deo missum esse, persuasit et quibus familiarissime utebatur, ita ut eum penitus nossent, complures erant, qui mentis acumine aequae insignes essent, atque animi integritate. An tales homines, quales erant Abū Bekr Justus (الصديق), 'Omar, Hamza totque alii Muslimorum principes, an tales, inquam, homines aut mendacis praestigiis deceptos, aut consulto ejus fraudium satellites et ministros fuisse putas? Quid, quod ingens Muslimorum multitudo M. vivo et mortuo nunquam tantam fidem tribuisset, ut pericula et mortem contemnentes, remotis omnibus, quae obstarent et impedirent, Mekkam, Arabiam, dimidium orbis Islami imperio subjicerent, nisi qua vis in eo fuisset, qua ceteris esset superior! Nec sine ratione prophetam ita diligebant et suspiciebant, ut gravibus cruciatibus et suppliciis, desciscendo ab ejus doctrina, liberari recusarent ³⁾.

1) Ab. 12; Nav. 32; Weil. M. 34; Spr. 139.

2) Sur. 5, 71; 6, 15; 10, 16; 39, 15.

3) „Beispiele dieser ausserordentlichen Liebe (quam cernimus in socio M., a Mek-

Sed jam vereor, ne quis me nimium credat M. tribuere. Nam ut justum est, de virtutibus ejus, quem plurimi gravissimis probris fixerunt, non detrudere, ita etiam ea, quae minus in eo laudanda sint, silentio praeterire non rectum est. Quorum primum hoc est, quod M. non tanto ingenii acumine, quanto *γενναίος* calore praeditus erat. Itaque ipse vim, quae se agitabat, non satis perspicuus ea, quae mente gravius excitatā videre et audire sibi videbatur, quum ex ipsius animo orta essent, ut ita dicam, externa et de coelo in se demissa putabat. Unde factum est, ut semper ea quae crederet, non satis examinans, magis obscuros sensus, modo huc, modo illuc eum abstrahentes, quam certum judicium sequeretur, quandoquidem in his sensibus dei vocem inesse censebat, quam, a se solo auditam, cum ceteris communicare deberet.

Hac ipsa re effectum est, ut M. non satis diligens esset in eligendis rebus, quibus doctrinae, quam suam veram et salutarem habebat, quasi incrementum afferret. Nam postquam primus ardor, id quod fieret necesse erat, consederat, ita ut non tam vivido animo res consideraret, quam antea, tamen non destitit contendere, oracula, quae fundebat, a Gabriele plane eadem forma, quam Muslimi acciperent, sibi afferri. Neque hoc ad externam tantum formam pertinet, quod facile excusare possumus (neque enim multum interest, utrum, se initā subductaque ratione deo consentiente aliquid edicere, an dei ipsius verba pronuntiare, dicat); sed nonnunquam ne fraudibus quidem, quas pias dicunt, abstinuit. Quin posterioribus temporibus Qorāni auctoritate interdum usus est, ut res componeret, quae religionem minime spectarent. Omnino eum posteriore aetate non tam celsum et erectum fuisse, quam antea, facillimum est intellectu. Sed tamen caveamus, ne haec in homine, educato et vivente inter idololatrias, quorum mores minime bonos fuisse constat, severius judicemus. Nam quodcumque fecit, ejus consilium fuit honestum, neque dubito, quin M., quum loquebatur de deo et de vita, post mortem agenda, vel quum invehebatur in idololatrias et Judaeos, homines animis maxime obstinatis, qui ea, quae ipsi sanctissima erant, ludibrio habebant, etiam ultimis vitae annis divino quodam spiritu tactus sit. Vide igitur, ne ea, quae iudicii errore minus recte fecerit, animi pravitati assignans, justo acerbius reprehendas; sed reputemus, ejus animum caluisse quasi flamma haud vulgari, cujus ardor interdum valde deminutus quidem, sed nunquam exstinctus sit.

kanis capite damnato) für M. sind in jener Zeit gar nicht selten und geben gewiss ein schönes Zeugniß für ihn. Aus Zauberei oder Schwärmerei dergleichen Dinge zu erklären, ist blosse Verlegenheit“ Ewaldus in Zeitschrift für Kunde des Morgenlands I, 98.

Haec hactenus, quum non id agamus, ut uberius M. mores describamus, sed ut pauca disseramus de ejus prophetia; de qua quid sentiamus, dicendum fuit, antequam de ejus effatis sententiam feramus.

B. DE MUHAMMEDIS ORACULIS.

In hac re primum nobis investigandum est, quomodo M. revelationes, quae dicuntur, acceperit. Ut de plerisque rebus, quae ad prophetam referuntur, ita etiam de hac re varia et repugnantia tradunt Muslimi. Sed de rebus plurimis et gravissimis hic consentiunt narrationes, modo recte eas conjungas. Atque Sprenger ¹⁾, scriptorem Arabicum secutus, his modis revelationes M. datas esse dicit: 1) Per somnium. 2) A Gabriele non viso. 3) A Gabriele induto specie hominis, plerumque Dihjæ Kalbensis, socii M. ²⁾ 4) A Gabriele, veram speciem ostendente. 5) A deo ipso, ut in ascensione in coelum. 6) Audiendo tinnitu vel sono, non bene distincto. Hoc revelationum genere eum maxime vexatum et afflictum esse, ita ut spumas agens in ore, oculis rigentibus, genibus flexis concideret summa vi, quae quondam tanta fuisset, ut camelus, in quo vectus esset, paene in terram procumberet. Ab aliis autem duo tantum revelationis genera distinguuntur. Nam secundum ³⁾ Aîsham propheta quaerentibus, quo modo oracula ei afferrentur, respondisse traditur ³⁾, modo se revelationes accipere, audientem sonum, similem tintinnabuli; quas quidem difficillimas esse intellectu; sed ubi angelus abiret, se eas percepisse; modo se cum angelo colloqui, ita ut facile eorum, quae sibi diceret, memoriam teneret. Ceterum plurimi scriptores consentiunt, M., quum oracula cum eo communicarentur, subito morbo tentatum esse; qui quum maxime crevisset, eum vociferatum esse, ut pullum cameli, auribus tintinnantibus, ore spumas agente, labris omnibusque ceteris artubus contremiscentibus ⁴⁾. Multi commemorant praecipue, quanto pondere propheta in terram conciderit ⁵⁾. Praeterea sunt, qui narrent, eum, oracula accipientem, palluisse et caput demisisse ⁶⁾, sed alii ejus vultum illis tempo-

1) Pg. 154.

2) Gabrielem Dihjæ (vel Daljæ cfr. Nav. 239) similem fuisse, invenimus etiam apud Ab. Rške I, 370; Ggn. I, 144; Weil M. annot. 251. Nav. 240, ubi dicitur fuisse unus e pulcherrimis hominibus, et ibid. 189.

3) Mishk. II, 680. Weil M. annot. 48. pg. 44. Ockley hist. of the Sarac. I. 299. Navavi 188.

4) Weil in Jour. as. July 1842 et M. annot. 48. Spr. 112. cfr. Sunnam 349.

5) ibid.

6) Mishk. II, 680.

ribus rubuisse dicunt¹⁾. Quum frigida quondam tempestate oraculum accepisset, ejus frons sudore manasse fertur²⁾. Denique Zaid ibn Tābit dixisse traditur, quoties revelatio e coelo demissa esset, prophetam ebrio vel moribundo similem fuisse³⁾. Possunt etiam aliae morbi notae enumerari, quae tamen his similes sunt. Itaque solum hoc addo, M. accipiendis primis Sūris ita debilitatum dici, ut ejus crinis canesceret⁴⁾.

Si haec diligenter perpendimus, intelligimus, complura revelationum genera distinguenda esse. Nam id quod tradunt nonnulli, *quoties* oracula ei afferrentur, morbi vim euni adortam esse, jam propterea verum esse non potest, quod alii, nonnullas revelationes nullam molestiam ei exhibuisse affirmant. Atqui duo genera fuisse statuimus. Quorum prius est id, quo M., altiore quadam vi se occupari, sentiens, animi motibus ita non moderari poterat, ut de mentis suae statu plane dejiceretur. Ad hoc quidem genus referendae sunt species (visiones quas dicunt): vigilianti et dormienti oblatae; e quarum numero est celebratissimum illud iter, quod noctu Hierosolyma et in coelum facere sibi visus est. Namque hoc ab eo confictum esse, quae est opinio Sprengeri⁵⁾, dicentis, id esse »an unblushed forgery«, non magis putaverim, quam omnes absurdas fabulas, quibus Muslini hanc rem quasi ornare student, ab ipso M. narratas esse⁶⁾. Illud jam bene refutavit Weilius⁷⁾, quum dicat, Muhammedem, ut Quraishitis, se verum prophetam esse, persuaderet, hoc excogitare non potuisse, quum talibus rebus, per se non verisimilibus, quarum nemo praeter ipsum fuisset spectator, neminem fidem habiturum esse, facillime potuisset intelligere. Huic simile est visum, quo genios se, Qorānum legentem, audire prophetamque agnoscere animadvertit⁸⁾. Commemorantur in Q. etiam alia hujusmodi, de quibus tamen melius infra agemus. Cum his conjungendae sunt eae revelationes, quibus accipiendis in gravem illum, quem modo descripsimus, morbum incidebat.

1) Spr. I. c.

2) Ockley I, 299. Weil. M. 157. Nav. 189, B. ad 73, 5.

3) Weil. I. I. c. c.

4) Spr. 89. Sed hoc non congruit cum narratione eorum, qui eum, si non omnino canis liberum fuisse, tamen perpauca capillos canos habuisse dicunt (Ab. 114; Nav. 32. Mishk. II, 666.). Quod licet videtur, ut etiam hac re prophetam ceteris superiorem fuisse demonstrarent.

5) Pg. 124.

6) Cfr. Mar. prodrom. ad refutat. II, 17 sqq. et ad Sur. 17, 1; Ggn. ad Abulf. 32 sqq. et vie de Mah. I, 191 sqq.; Spr. 126 sqq.

7) M. annot. 83.

8) Cfr. locos, quos infra laudabimus.

Quem, repugnantibus nonnullis scriptoribus ¹⁾ primus Weilius *demonstravit* (nam hoc *dixerunt* quidem jam complures scriptores ²⁾ secuti auctores rerum Byzantarum, qui etiam hac re M. criminari studebant), esse morbum comitalem (*ἐπιληψίαν*) ³⁾. Quo morbo qui laborabant, quum ab Arabibus, quorum opinio etiam aliis gentibus erat, in malorum geniorum potestate esse crederentur, M., cujus animus aequae ac corporis facile concitabatur, aliquid altius in se esse sentiens, tamen non a geniis, sed a numine divino se agitari, sibi persuasit. Itaque ea, quae, quum ex subita defectione ad se rediret, ante ejus animum versabantur, divinitus sibi revelata censebat. Sed verisimile est, eum, quanvis jam aetate minor illo morbo laboraverit ⁴⁾, per longum temporis spatium eo liberum fuisse, ita ut jam diu de rebus divinis meditatus, postquam denuo morbo tentati animus a corpore, nimis longā cogitatione confecto, abstractus erat, hac ipsa re sibi munus prophetae mandatum esse crederet. Ceterum ex iis, quae supra attulimus, intelligimus, eum postquam animum recepisset demum («ubi angelus abiret»), oraculum ipsum accepisse, quum ante nihil animadvertisset nisi aurium sonitum vel tinnitum.

Huc etiam referenda essent, quae a praesente deo accepisset, nisi hoc revelationum genus a Muslimis, prophetam quam maxime supra ceteros homines extollere et cum deo conjungere studentibus, confictum esse, jure suspicaremur. Nam ⁵⁾ Aïsa ei, a quo interrogata est, num propheta deum conspexisset, respondit eos, qui hoc dicerent, maxime impie loqui ⁵⁾.

Alterum revelationum genus est id, quo, licet ejus animus graviter excitaretur, tamen non mente deserebatur. Hoc quidem genus, quod frequentissimum erat posteriore ejus aetate (sed non solum, quum illo modo etiam Medinae oracula acciperet) ⁶⁾, non simplex est, quod tamen,

1) Ut Ockley pg. 300; Sale ad Sur. 7, 3. Ggn. I, 91 (qui tamen aliam sententiam protulerat in edit. Abulf.) C. de Percev. in jour. as. 1839 pg. 138.

2) Ut Hottinger hist. orient. 14 sqq. Mar. ad Sur. 74, 1. etc.

3) Jour. as. 1842 July; M. annot. 48. Ceterum qui narrant, ejus vultum paluisse, vix pugnant cum iis, qui eum rubuisse dicunt, quum modo hoc, modo illud fuisse possit. Sed haec medicis dijudicanda relinquamus.

4) Weil. l. l. c. c. Spr. 77.

5) Spr. 122 annot. 5. Memoria dignum est, Muslimos quosdam narrare, M. interrogatum, deumne vidisset, respondisse, se eum aspexisse *corde* (بِقَوَادِي). B. ad

53, 11. Quae vix dubito, quin ab ipso propheta dicta sint.

6) Cfr. Weil M. 157. Etiam quod narratur apud Spr. 112 annot. 8 Medinae factum est. In proelio Bedrensi animus eum reliquit; quod non recte C. de Percev. (jour. as. 1838 pg. 124) a M. simulatum habet.

ut rem ad solum animum spectantem, in diversas partes accurate digere non queas. Atque multae Q. partes, quanquam M. eas conficiens sui compos esse non desinebat, tamen ex majore quodam animi ardore oriebantur, quem comparare licet impetui divino poetarum. Sed alias partes negare non possumus ex sola meditatione genitas esse, ita ut omnibus careant, quibus differat propheta a sapientiae magistro vel a legum scriptore. Haec sunt ea oracula, quae a Gabriele non viso accepisse fertur ¹⁾, vel quae Deus quasi in ejus animo, acriter intento, posuisse traditur ²⁾.

Sed his generibus revelationum, quas M. ipsi tribuendas esse, nemo sanus negabit, Weilius ³⁾ opponit aliud genus earum, quas ille ab alio quodam acceperit, quem angelum putaverit. Nam existimat, eos versus, quibus M. ipse appellatur, priore quidem prophetiae tempore vix aliter explicari posse. Quo accedere, quod Gabriel Dihjæ similis fuisse tradatur. Sed tamen hoc verum non habeo. Nam non dubito, quin primis prophetiae annis saepe *ἐκστάσεις* vis tanta fuerit, ut, angelum se alloqui, crederet; postea vero eum, quae secum reputaret et quasi sibi ipse diceret, ut oracula, a deo demissa, promulgasse, optime convenit cum iis, quae supra diximus. Atqui plurimi loci, quibus Weilius hoc probari censet ⁴⁾, inveniuntur in Sûris, quae ipsi, ut mihi, ultimis annis, quos M. Mekkae degit, revelatae videntur. Itaque secum pugnat, quum primis temporibus M. hujusmodi oracula data esse dicat. Nec magno-pere haec sententia adjuvatur iis, quae de Dihja traduntur; an credere debemus, Dihjam, hominem inter M. socios non ignobilem quidem, sed tamen a multis gloria superatum, cum esse, qui totius Islami verus sit auctor? praesertim quum id, ex quo haec fama orta esse videtur, anno 5 Fugae demum gestum sit ⁵⁾. Denique quis est, qui credat, hominem, qui, religionem, a patribus traditam, falsam esse sentiens, novae religionis se auctorem fieri posse sentiret, tam timidum fuisse, ut non ipse, quae mente comprehendisset, ceteros doceret, sed alium, quem facile deceptum

1) Cfr. supra pg. 4. nr. 2.

2) Weil annot. 48 pg. 45: العلم الذي يلقى به الله تعالى في قلبه عند الاجتهاد

3) M. ann. 598 et K. 57 sqq.

4) K. 58 ann. 2—6.

5) Hoc ipse Weilius (ann. 25f) optime explicat: „Dihja mochte in der That als Freund und Rathgeber Mohammeds guter Engel gewesen sein.“ Postea demum Muslimi, omnia miraculis exornantes, fluxisse puto, illum non re vera Dihjam, sed Gabrielem, illi similem, fuisse.

iri speraret, praestigiis adduceret, ut perficeret id, quod ipse suscipere non auderet? M. autem, si quando, id quod evitari vix poterat, ab homine se deceptum esse, intellexisset, tam graviter afflictus esset, ut tot periculis obstantibus de nova doctrina divulganda desperasset. Quid, quod etiam gravissimum Weillii argumentum non satis firmum est? Dicit enim, factum esse non posse, ut M. se a Gabriele appellari fingeret, quia hoc nimis contrarium fuisset veritati eorum, quae primis temporibus doceret, et animi ardori, quo in docendo inflammatus esset. At nonne Weillii sententia eadem difficultate obstructa est? Etenim si, haec omnia, aut magnam quidem partem (nam solos versus, quibus alius M. alloquitur, ex ejus animo ortos non esse, quum minime sit verisimile, Weilius non videtur putare) ab alio homine dicta esse, statuamus, quum verarum sententiarum veritas eadem est, tum in illis versibus, arte cum his cohaerentibus, summa invenitur fraus, ita ut discrepantia major sit, quam si M. ipse auctor habetur. Quae quum ita sint, Weillii sententia non recta et totum hoc genus revelationum omittendum videtur esse.

Ceterum distinguenda est oraculorum revelatio a compositione. Quamquam enim posteriore M. vita, qua prima vis revelationis valde deminuta erat, hae plerumque ita conjunctae erant, ut eas separare non possis, tamen praecipue primis prophetiae annis sine dubio diversae erant. Muslimis relinquamus credere, quamque Q. litterulam prophetae divinitus patefactam esse; nos vera indagemus. Itaque ne antiquissimarum quidem Surarum singula verba in ipso ingenii aestu, dum corpus ab animo abstractum erat, accepisse putandus est. Sed sententiae eorum, quae diceret, in illo statu in ejus mentem incidebant; verisimile quoque est, eum gravia quaedam verba accepisse, quae expergefacti animo obversarentur. Sed haec, postquam ad se redierat, ordinabat et vestiebat verbis convenientibus. Hoc videtur significari hac narratione: »quoties M. se offerebat species, ei apparebat, ut aurora oriens; tum se recipiebat in secretum locum, ubi manebat, *donec veritas ad eum veniret*«¹⁾ (h. e.: donec ea, quae sibi revelata erant, intelligeret et componeret). Fieri quidem potest, ut etiam haec componentis animus graviter excitatus fuerit; sed hunc animi statum alium esse apparet, quam eum, quo mentis suae non compos erat.

At hic locus est disserendi, quomodo factum sit, ut in Q. permulta inveniantur, quae a M. ne excogitata quidem sint. Nam inveniuntur in Q. permulti loci, qui vel sacrorum librorum vel Rabbiorum evangeliorumque apocryphorum narrationibus tam similes sunt, ut ad eorum exem-

1) Ockley I, 299 sq.

plar eos factos esse, quivis facile intelligat. Sed quaerendum est, hasne ex libris sumpserit, an ab ipsis Judaeis vel Christianis acceperit. Quam rem, nobis, hic quaerentibus, quae sit Q. origo et fons, gravissimam, perspicere non poterimus, nisi ante cognoverimus, utrum M. legendi et scribendi gnarus fuerit, an non. De hac re, quae maximi est momenti, diverse judicatum est. Nam prope omnes Muslimi recentioris, et multi veteris aetatis, M. scribere legereve potuisse negant¹⁾. Ad quod probandum afferunt tres locos Q., quorum uno²⁾ propheta, antequam Q. revelatus sit (من قبله), nullum librum legisse vel scripsisse dicitur; in ceteris³⁾ vero vocatur النبي آدمي — Alii autem affirmant, aut initio tantum eum harum artium ignarum fuisse, aut jam antea eas calluisse. Quibus illa sententia est, anno 6. post Fugam⁴⁾ miraculo quodam eum illas didicisse exstimant⁵⁾. Ita Muhammed ibn Muhammed ibn Nu'man (qui mortuus est anno 413) librum composuit, quo, prophetam scribere potuisse, ostenderet⁶⁾. Quin sunt, qui ei libros attribuant. Nam v. Hammer hos locos scriptoris Arabici asserit⁷⁾: »Et scripsit propheta librum⁸⁾ de legibus et judiciis (على الشرائع والحدود); ex quibus est liber de stipe danda, qui erat apud Abu Bekrum et ex quibus est liber prophetae, missus ad Jamanenses«. Ex bis libris non pauca exstare ait V. Cl. in libro, ex quo hoc sumpserit. Quos libros quanquam a M. confectos esse a fide maxime abhorret, tamen, M. scribendi non prorsus ignarum fuisse, e compluribus rebus apparet. Nam Hudaibijae, ne actio de pace tolleretur, deletis verbis رسول الله, quae ut post ejus nomen ponerentur, Mekكاني non concesserunt, scripsit بن عبد الله (محمد⁹⁾).

1) Spr. 101.

2) Sur. 29, 47.

3) Sur. 7, 156 et 7, 158.

4) Liceat, hoc verbo uti, ne longi simus, quanquam هجرة magis est excessus e patria, migratio a suis, quam vera fuga.

5) v. Hammer (Wiener Jahrbücher 69 pg. 45).

6) Spr. 101 annot. 2.

7) Wien. Jahrb. 1. c.

8) Sed e tota sententia et e sequenti مني intelligimus, pro كتاباً scribendum esse كتباً.

9) Ggn. II, 16. Weil. M. annot. 268. Sed Ab. (pg. 77), cujus aetate jam omnes credebant, M. hac arte doctum non fuisse, 'Alium, quem alii hoc scribere noluisse dicunt, etiam haec verba M. jubente scripsisse, narrat.

Etiam, quum M. moribundus esset, codicillum et calamum poposcisse fertur, ut scriberet, quo Muslimi ab errore servarentur ¹⁾. Sed haec narratio, quanquam non ideo suspecta esse debet ²⁾, quod solius 'Aishae auctoritate nitatur, quum alii eam ab Ibn 'Abbās ortam dicant ³⁾, tamen, quum hic magis, ille minus perspicue, M. Abū Bekrum successorem nominare voluisse, dicat ⁴⁾, a Sunnitis conficta videri potest; quod ego quidem verum non habeo, sed tamen ob hanc rem non magno argumento nobis est. At in ipso Q. est locus, quo M. legendi peritum fuisse patet. Nam versus, quem plurimi consentiunt primo loco M. revelatum esse, prima vox est ^{أقرأ}. Hinc prudentissimus quisque, cum legendo docturu fuisse, intelliget. Neque hoc negant multi Muslimi, qui eum Gabrieli, hoc dicenti, respondisse tradant aut: »quidam est quod legam« ⁵⁾ (أقرأ) aut »non bene scio legere« ⁶⁾. Postremo verisimillimum est, hominem oriundum e nobilissima familia Mekkanorum, ad quos prius Higāzensium scribendi ars perlata est ⁷⁾, et inter quos haec ars aetate pugnae Bedrensis ita divulgata erat, ut captivi pauperes (qui vix tam facile, quam divites eam didicerant), quum pecuniā redimi non possent, eo se solverent, quod Medinenses legere docuerunt ⁸⁾, legere potuisse. Attamen e Sūrae 96 v. 4 et 5 sequi videtur, eum non multo ante Missionem hoc didicisse. Neque bene scripsisse videtur, ut apparet e multis Muslimorum locis ⁹⁾; quibuscum congruunt ea Q. verba, quae supra commemoravimus. Nam, M. libros nec legisse, nec conscripsisse, verum est, quanquam cavendum est, ne eos sequamur, qui ¹⁰⁾ haec verba significare dicunt, M. illud omnino facere non potuisse. Voci ^{أمر} autem hanc notionem non subjectam

1) Ab. 110; Summa 332; Nav. 224; Mishk. II, 735; Ggn. II, 283; Weil. M. 329 sq. Pierce Mahomedan history I, 15.

2) Quae est sententia Weillii M. ann. 526.

3) Mishk. I. c.

4) Quin sunt, qui M. dixisse narrent, se aliquid scripturum esse, ne quis alius, quam Abū Bekr successor fieret. Mishk. II, 750; Weil. annot. 526.

5) Ut Ab. 15.

6) Weil. M. ann. 50. Spr. 95.

7) De Sacy mém. L, 297 sqq.; Jour. as. 1838. Déc. pg. 558 sq. M. Sed Judaeos excipio.

8) Spr. II, 6. de Perc. III, 74.

9) Cum iis, quae modo attulimus, confer Wien. Jahrb. 69 pg. 45 (»non bene scribebat; scribebat tamen«) et quae dicit Spr. 101.

10) Ut Baiḡāvius.

esse vidit jam De Sacy¹⁾. Nam hoc verbum, quum ductum sit ab ^{أمة} (2), significat *λαϊκόν*, qui non instructus est iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur. Quae quum ita sint, M. ad necessitatem quidem illarum artium gnarum fuisse, sed nunquam eo eruditionis pervenisse censeo, ut ad libros aut legendos aut sua manu exarandos se conferret. At contendit Sprenger³⁾, eum legisse Judaeorum et Christianorum libros sacros. Vocem illam ^{أمة} significare »lege sacros libros, quos usque ad hoc tempus neglexisti«. Quae interpretatio quam sit contorta et non probabilis, facile patet. Nam etiamsi ille, ea aetate, qua in Syriae finibus⁴⁾ multi erant Christiani, sacrarum litterarum partes quidem ex aliis linguis in Arabicam conversas esse, recte censeat⁵⁾, tamen hoc non ultra modum extendendum est. Vix enim multa eorum erant exemplaria, quum magnum Christianorum numerum nomine magis, quam re Christi doctrinam secutum esse, et per se verisimile sit et maxime appareat eo, quod in compluribus stirpibus Christiani et idololatrae promiscue vivebant⁶⁾ et quod postea facile moti sunt ad Islámum accipiendum. Non igitur verisimile est, in Higázum et in ipsa veteris religionis Arabicae penetralia⁷⁾ sacros libros perlatos esse. A Judaeis autem Jañribensibus M. eorum exemplar accepisse, nemo putabit, qui cogitet, quanta superstitione hi V. T. servarint, ne ab impuris manibus prehenderetur⁸⁾. Sed gravissimum nostrae sententiae argumentum est in ipso Q. In quo de prophetis sanctisque hominibus N. T. et V. T. nulla narratio invenitur, quin adeo mutata (plerumque depravata) sit, ut eas ex ipso fonte haustas esse,

1) Mem. L, 295.

2) Mire ^{أمة} ductum volunt nonnulli Muslimi ab ^{أمة}, ita ut sit, qui talis sit, qualis e matris utero provenierit (hoc me legere memini, sed nescio, ubi), vel ab ^{أمة}, cognomine Mekkae (quod tamen non novum est, ut putat Spr. 101. annot. 6, sed jam invenitur in Q. (6, 92; 42, 5).

3) Pg. 97 sqq.

4) Sed res Himjaritarum qui alia utebantur linguā et omnino a ceteris Arabibus perquam diversi erant, ad hanc quaestionem non attinent.

5) Pg. 100. ann. 3.

6) Ut in stirpe clarissima Taijiensium. De Christianis Arabibus cfr. Pococke specim. 142 sqq. Causs. de Perc. I, 348.

7) Memoria dignum est, nullos Christianos fuisse in omnibus stirpibus, quae, a Mudaro se ortos esse praedicantes, omnium nobilissimae ducebantur. C. de Perc. I. c.

8) Quam superstitionem postea Muslimi imitabantur, in Qorānorum exteriorem partem scribentes لا يمسها الا المطهرون.

sine dubitatione negare possimus. Sed si non illos, alios quidem libros a M. lectos esse vult Sprenger. Certum enim esse, eum usum esse libro, cui inscriptum fuerit ^{الاوليين} 1) أساطير, quod nomen, id quod jam Freytagius 2) fecerat, ductum putat a Graeco *ιστορία*. Nam formam ^{أقاعيل} أقاعيل vel ^{أقاعيل} أقاعيل frequentissimam esse in vocibus peregrinis. Quod argumentum mihi quidem aequè infirmum videtur esse, quam tota haec sententia. Num enim ideo, quod verborum peregrinorum, plerumque longiorum, quatu Arabica esse solent, plurali numero (nisi additur terminatio ^{ات} ات vel ^{ون} ون) alia forma esse non potest, quodquod verbum ita formatum est, in Arabicam linguam aliunde quasi irrepsit? ^{أسطورة} أسطورة autem modo rariore, sed vere Arabico 3) ductum est a ^{سظ} سظ, quod est etiam in linguis Hebraea 4) et Aramaea, significatque primum quod conscriptum est, tum narrationem, fabulam, ita ut significatio scribendi plane abeat 5). Itaque ^{اساطير} اساطير, cui in Q. semper additur ^{الاوليين} الاوليين, ex mea ut ex omnium interpretum, quos vidi 6), sententia sunt ineptae fabellae, quales ab incultis hominibus veterum temporum excogitatae et verae habitae sunt (Annenmahrchen). Ita quum Quraishitae appellare possent et narrationes, quae sunt in Q., et ejus dogmata 7), haec significatio quadrat ad sententiam omnium locorum, in quibus reperitur. Eadem vis est verbis ^{ادوليين} ادوليين 8), quibus Adaei Hudi doctrinam appellasse dicuntur, et quae libri nomen esse, ne Sprenger quidem contendet. Num vero credere

1) Pg. 99.

2) In Lexic. Arab.

3) Ewald. gramm. Arab. §. 243. Apud B. ad Sur. 6, 25. (cfr. ad 23, 85.) et in Freyt. lex. etiam aliae singularis formae inveniuntur. In lexico minore Freyt. hanc formam etiam aliter explicavit, ita ut sit plur. vocis ^{سظ} سظ, ^{اسطبا} اسطبا, ut ^{اقوال} اقوال, ^{قول} قول: ^{اقاويل} اقاويل, ^{اقوال} اقوال.

4) ^{שטיר} שטיר, quod interpretes reddunt verbis *γραμματεὺς, γραμματοεισαγωγεὺς, ^{سظ} سظ*.

5) Etiam ^{تسظ} تسظ significat „vana, ficta loquit, sed hoc ex ^{اسطير} اسطير formatum videtur. Ceterum *Sujūtī* (cfr. Spr. l. c.) hoc verbum in lingua *Himjaritica* librum significare dicit; quod quanquam verum esse potest, tamen scriptori tam recentis aetatis, cui omnia, quae non intelligebat, *Himjaritica* erant, non magna fides habenda est.

6) B.; Zamachsharī, cujus verba laudat Spr. 100 ann., et quum Sale nullam annotationem habeat, etiam ceteros interpretes, quibus usus est, idem censuisse puto.

7) Hinc Sprenger concludit, illum librum continuisse et fabulas et decreta sacra. Mira sunt, quae praeterea de hoc libro conjicit (pg. 99 annot. 3).

8) Sur. 26, 137.

possumus, M. ea, quae doceret, sumpsisse ex libro, omnibus noto? nam si Asâ'ir omnino erat liber, hoc fuerit necesse est, quum *novem* Q. locis, diversis temporibus compositis, M., oracula sua a Quraishitis sic nominata esse, dicat. Postremo hi, si illum libro uti censuissent, vix dixissent: »haec non sunt nisi أساطير الأولين« sed من أساطير. Etiam scidas ¹⁾ Abrabami, quarum mentio bis fit in Q. ²⁾ non fuisse librum, quo multum uteretur, ut putat Sprenger ³⁾, jam inde apparet, quod, M. ipsum fontem, ex quo hauriret, nominasse, non est, quod credamus ⁴⁾.

Quum igitur M. libros legisse, per se non sit veri simile et quum argumenta, quibus hoc probari possit, infirma videantur esse, statuere licet, eum Judaismi et Christianismi partes, quarum notitiam habebat, ex hominum praesentium sermonibus accepisse. Sed quum Muslimi, ut facile est intellectu, hoc maxime occultent, non bene cognoscere possumus, qui hi fuerint. Nam commemorant quidem nomina nonnullorum Christianorum, quibus Quraishitae eum magistrorum loco usum esse dixerint, sed haec omnia incerta et contrarie dicta sunt. Nonnulla eum ante Missionem a Christianis accepisse puto. Communis enim Christianorum et Muslimorum fama est, eum, antequam propheta factus esset, cum monachis convenisse; at haec fabulis ita quasi obvoluta sunt, ut vera intelligere nequeamus. Fictis enim similia sunt, quae narrant de Bulhairâ'o vel Sergio ⁵⁾ et de Nestore ⁶⁾ (h. e. nisi fallor monacho Nestoriano). In quibus nihil veri inesse videtur, nisi M. in Syria cum Christianis convenisse et fortasse primo sensisse, Mekkanorum religionem non veram esse. Neque vero ab his doctrina Christiana instructus esse potest, quum aetate prioris itineris 9 vel 12, posterioris, in quo narrando plurimi monachi ullam mentionem faciunt, 25 annos natus esset. Sed alia est fama, nonnullos Christianos Mekkae fuisse, inter quos maxime excellit Varaqa ⁷⁾, qui, quum ipsi affinis esset (erat enim Chadiçae patruelis),

1) عصف.

2) 87, 19. et 53, 37 sq.

3) 100 annot. 4.

4) M. his verbis significare videtur librum, qui Abrahamo, ut Mosis et aliis prophetis revelatus sit. Itaque dicit: »scidae priores, scidae Abrabami et Mosis« (Pentateuchus). Hos libros, ante a deo domissos, cum Q. consentire, saepe contendit. Ceterum librum Abrahamo revelatum esse dicunt etiam B. ad 2, 181. Nav. 128.

5) Ab. 12. Abū'lfarag. (ed. Pocock. specim.) 18; Weil. annot. 15. Spr. 79. Nav. 32. Georgius monachus apud Hottinger. (hist. or. 319) M. cum hoc Hierosolymis convenisse vult.

6) Weil. annot. 27.

7) Abulf. 16. Weil. 47 et 408. Spr. 40. Nav. 614. De Varaqa ceterisque

multa eum docuisse creditur. Quo paulo post Missionem mortuo ¹⁾ Christianam doctrinam accepit ab homine, non bene Arabice loquente ²⁾ quem dicunt esse Gábr, servum Graecum, vel 'Aïsh, vel Gábr et Isár ³⁾ vel 'Addás servum vel alium quendam ⁴⁾. Facile igitur intelligimus, nihil certi de hac re dici posse. Judaeorum aulem, qui Mekkae ejus magistri fuerint, nomina a Muslimis, in illos summum odium habentibus, non accepimus, quanquam certe M. Judaeorum narrationes et opiniones multo melius noverat, quam Christianorum. Nam ex bis paene nihil sciebat, quam nonnullas narrationes, fabulis commixtas, de vita Jesu et Johannis. Sed doctrinae Christianae tam ignarus erat, ut Mariam a Christianis deam haberi putaret ⁵⁾; certeque ignorabat, quae Christiani docerent de morte Jesu, ad aliorum peccata expianda oppetita, quum nunquam ea oppugnaret ⁶⁾. Hinc apparet, magistros ejus non modo non tam eruditos, quam vulgo putant ⁷⁾, sed plane indoctos fuisse. Rabbiorum autem fabulas quam bene noverit, uberius demonstravit Geiger ⁸⁾. Possis igitur suspicari, illum hominem, barbaram loquentem, fuisse Judaeum. Omnino facile Judaei Mekkam venire poterant, quum magnus eorum numerus quum in aliis harum regionum urbibus, tum Jafribae, in oppido, cum prophetae patria frequenti commercio conjuncto, viveret. Baidávius quoque concedit, eum cum Judaeis de sacra ipsorum historia collocutum esse ⁹⁾. Sed tamen sacrorum librorum paucos tantum locos didicerat ¹⁰⁾, quos sine du-

Christianis cfr. Erdmann in Zeitschr. d. D. M. Gesell. 1854 p. 557 sqq. etc. De eodem sine dubio loquitur Theophanes (chronogr. edit. Venet. p. 220), qui dicit Chadigam „ad manus habuisse monachum haeticum.“ Alij hunc, ut illum, quem modo commemoravimus, Sergium dicunt (Sylburg, Saracenicæ p. 2: Confutatio legis Machumeticæ p. 26 in Q. Bibliandri) etc.

1) Mishk. II, 678 sq. C. de Perc. I, 356.

2) Sur. 16, 105.

3) B. ad hunc locum.

4) Qui enumerantur a Sale ad hunc locum. 'Addás ille a Sprengero dicitur fuisse monachus Ninivita (99), quod ipsum nomen mihi quidem suspicionem movet.

5) Sed hoc non miraberis, si quantis haec honoribus affecta sit, reputaveris. Quin in Arabia fuerat secta Collyridianorum, Mariam veram deam ducentium. Cfr. Mar. 179; Sale prelim. disc. 33; Hottinger historia orient. 341 sqq.

6) Cfr. Gerock, Christologie des Koran 85.

7) De Varaqae eruditione vide Spr. 40; Weil. ann. 52 etc.

8) Libello, qui inscribitur: „Was hat Mahomed aus dem Judenthum aufgenommen?“

9) Ad 25, 5. Hujus loci sententia est, Quraishitas dicere, M. ea conscribere, vel conscribenda curare, quae ante a Judaeis acceperit. Cave, ne verbo تملى nimis artam significationem attribuas.

10) Optime hoc apparet e. v. 105 Suræ 21, ubi dicit: „Et scripsimus in psalmis, fore, ut terrae haeredes fiant justii“ (ψ. 37, 29). Sed v. 6 Sur. 61 affertur lo-

bio non legerat, sed a magistris audiverat. At minime omnes locos, qui illorum versibus similes sunt, ex his sumpsisse putandus est, quum similitudo inde orta sit, quod et de similibus rebus agebat in similique conditione erat, atque multi scriptores sacri, et natus erat in populo, genere et lingua cum Hebraeis cognato.

Sed praeterea Sprenger, M. etiam a Zaid ibn 'Amribn Nufail doctrinae suae partes accepisse existimat¹⁾, qui, desinens falsos deos colere, verum mundi rectorem cognoscere studuerat. Quem vixisse quanquam non est, quod negemus et quanquam concedere possumus M., auditis ejus sermonibus commotum esse, ut degeret vitam, positam in contemplatione rerum divinarum, tamen Sprenger etiam hic ultra modum progredi videtur, censens, quum in oratione, quam Zaid habuisse fertur, complures Q. loci inveniantur, M. non modo, quae doceret, sed etiam verba (not only his tenets, but even his expressions) ab illo sumpsisse²⁾; quasi M. Zaidi verba memoriae infixisset, quibus veluti pannis pretiosae vestis post multos annos suam tenuitatem tegetet. An quis est, qui credat, aliquem Zaidi orationes ad verbum edidicisse, posterisque tradidisse, donec longo temporis spatio peracto litteris mandarentur? Quid? nonne multo veri similis, Muslimum quendam, meditatam, qualia fuissent verba, quibus Zaid, unum deum pie colens, alloqueretur cives idololatrias, talem orationem composuisse locisque Q., illius conditioni accommodatis, exornasse.

Itaque ex bis omnibus hoc effectum videtur esse, M. multas narrationes Rabbinorum et Christianorum, qui nostrum novum testamentum non bene novissent, in oracula, a se edita, recepisse. Has vero aut

cum Joh. 16, 7, in quo male pro *παράκλητος περικλητός* scriptum sit, ita ut M. hoc reddere potuerit أقر , quae est sententia Mar. (refutat. 3, 26 sq.) cf. Spr. (97 ann. 1) et aliorum, subtilius, quam verius haheo. Etenim Ahmadibn 'Abd al Halim (apud Mar. l. c.) illo loco legi dicit أقر , quod certe est *παράκλ.* non *περικλ.*

Quanquam false hoc significare dicit aut laudantem, aut laudatorem (أقر), aut laudem, aut corroborantem (أقر). Postremo mea quidem sententia est, M. ab indocto quodam audientem, Christum se secuturis promississe, post se eum venturum esse, qui eos ad totam veritatem duceret, hunc se ipsum esse putavisse; sed eum verum illum Johannis legisse, hac re non efficitur. Nomen أقر substituit in locum Paraclleti, cujus sententiam non intellexit, quum illud cum ipsius nomine أقر conjunctum esset.

1) p. 95 et 98. De Zaidi vita uberius exponitur p. 41 sqq. Cfr. Nav. 264 sq. Ibn Cotaibas Handb. d. Gesch. 29.

2) Spr. hoc dicit, quia toto libro id agit, ut M. non verum Islami auctorem esse demonstret (cfr. praecipue p. 175).

paucis complectitur, quibus praemiis deus pios homines etiam ante se affecerit, demonstraturus; in qua re non est, quod reprehendamus; aut uberius exponit, ut narrandis rehus, quas a nemine acceperit, ostendat, solum deum eas secum communicasse. Hic igitur veritatis fines transit; etiamsi non omnino, eum hoc mentitum esse, dicere possumus, quum eas suo more fingeret et ad suam conditionem, quaecunque erat, accommodaret, ita ut quodammodo, eas ex ipsius ingenio ortas esse, dicas.

Jam pauca dicenda sunt de longitudine singulorum oraculorum. Etiam de hac re non consentiunt, quae tradunt Muslimi. Vulgo enim M. dixisse tradunt, Q. sibi allatum esse per singulas litteras et singulos versus (أَيُّهُ أَبَدٌ وَحَرَفًا حَرَفًا) praeter Sûras 9 et 112, quarum utramque una revelatione accepisset¹⁾. Alibi vero M. eodem tempore 3 vel 4 vel pauciores, vel plures versus simul revelati dicuntur²⁾. Quin etiam omnes versus Sûrae 6 eodem tempore demissos tradunt³⁾. Neque hoc Muslimos impedit, quo minus (recte) partium Sûrarum 6 et 9 diversam originem esse statuunt. Quod signo nobis est, quid Muslimorum auctoritati attribuendum sit. Atqui nemo, qui Q. diligenter legerit, negabit, plerumque multos versus ita cohaerere, ut singuli diversis temporibus revelati esse non possint. Idem dicendum est de totis Sûris. Non significamus breves Sûras primae aetatis, quarum partes inter se cohaerere, non est, quin intelligat; sed attendas, quaeso, alias quasdam Sûras longiores, quarum saepissime vix unus versus detrahi potest, quin totius orationis ordo magnopere turbetur. Attamen alia oracula perbrevia sunt. Sed caveamus, ne, ubicunque oratio Q., quippe cui sit vividum, dissipatum dicendi genus, facile ab una re ad alteram transiens et ad illam rediens, non uno tenore fluit, novae revelationis initium esse statuamus. Itaque oraculorum longitudo diversissima est, ita tamen, ut paene semper major sit Muslimorum opinione. Sed hoc accuratius infra tractabimus, ubi de singulis agemus. Muslimorum autem sententiam inde natam censeo, quod a re, nonnunquam facta, de omnibus conjecturam fecerunt, ne hic quidem modum servant. Praecipue breves erant multi loci, Medinae revelati; e quibus, quum tempus illic transactum posteris semper multo melius notum erat, quam id, quod Mekkae degerat, facile etiam ceteros judicabant. Sed maxime hoc factum est, quia, universi Q. quodque verbum M., quum mens a corpore revocata fuisset, datum esse rati, tamen credere non poterant, eum diu in hoc singulari statu mansisse, ut longa oracula acciperet et memoriae infingeret, praesertim

1) B. in extrema explicatione Sûrae 9. Mar. p. 306.

2) Mar. l. c.

3) B. in extrema explic. Sur. 6.

quum nonnulli, ut prophetam etiam hac re aliis hominibus majorem fuisse ostendant, ejus *λειποθυμειαν* non diuturnam fuisse velint ¹⁾. Huc accedit, quod, Q. partibus nunc saepe non cohaerentibus, omnino singulos versus non conjungendos putant.

Neque vero M., omnes revelationes separatas esse, cupiebat; sed ex Q. apparet, eum saepe oracula, deinceps accepta, ex ordine conjunxisse. Quae nonnunquam ita composuit, ut nescio annon ea disjungere queamus; neque valde dolendum est, quod ea dissolvi non possunt, quae auctor ipse contexuit, dummodo diversas partes, aut casu, aut ab hominibus non satis diligentibus compositas secernamus.

Singulum oraculum, aut caput, e compluribus oraculis, arte conjunctis, constans M. nominabat *Sûram* ²⁾ vel *Qorânum*. Quorum illud nomen, quod non invenitur nisi in *Sûris Medinensibus*, significat semper partes incertae longitudinis, quae quanquam saepissime nostris *Sûris* pares sunt, tamen cum his confundere non licet. Sed voci *قُرْآن* (tres sunt significaciones. Est enim 1) actio legendi ³⁾ 2) id, quod legitur, pars vel caput ⁴⁾; 3) compluria capita, vel omnia ⁵⁾, quae significatio postea sola mansit, ita quidem, ut sic nominarent librum, a M. successoribus collectum. Eadem vis est verbis *Kitâb* et *Furqân* ⁶⁾.

Dicendi genus, quo divinitus patefacta exprimit, e temporum ratione diversissimum est, ut melius infra in singularum aetatum conspectu de eo agamus. Natu paeue nihil omnibus partibus commune est, nisi quod ubique ⁷⁾ Deus ipse loquitur; in ceteris rebus talis diversitas est, ut aliis nihil fingi possit, quod sit magis elatum et poeticum, et ut alia humilia et demissa sint.

Sed omnibus M. oraculis communis est externa quaedam forma,

1) Spr. 152 ann. 4.

2) Primitus significare videtur lineam vel seriem (vulgo lineam vel struem lapidum in muro (سور), ita ut sit series verborum vel potius versuum).

3) Sur. 17, 80; 75, 17. *قُرْآن* etiam in infinitivis verbi *قرأ* numeratur (Freitag Lex.).

4) ut Sur. 15, 1; 72, 1; 10, 62.

5) Sur. 15, 87; 25, 34; 17, 84.

6) *قُرْآن* minus significat librum oraculorum, quam ipsam revelationem; quapropter nonnunquam apponitur voci *كتاب*. Primitus esse videtur id, quo disjungitur, *dijudicatur*, ideoque additur voci *هُدًى* (Sur. 2, 181); *قُرْآن*, *كتاب*, etiam aliorum prophetarum libros significat, *قُرْآن* solius Muhammedis (cfr. 21, 49).

7) Exceptis *Sûra* I et duobus locis, quibus angeli loquentes inducuntur. De quibus infra.

quā vulgari sermoni antecellat. Etenim in toto Q. invenitur rhythmus finalis (ὁμοιοτέλετον). Qui quum non modo ad nonnullos locos emendandos vel ad rectam versuum distributionem restituendam, sed etiam ad totarum Sūrarum compositionem cognoscendam et ad locos false insertos ejiciendos ei, qui attente, sed caute ejus rationem habet, magni momenti sit, operae pretium videtur esse, pauca de eo dicere. Atque rhythmus finalis Q. non est accuratus et limatus poetarum, sed liberior ille, quo utebantur oratores et vates Arabum (تسجيع). Sed M. plurimas licentias sibi sumit. Nam praeterquam, quod prope omnibus licentiis, quae huic orationis generi conceduntur ¹⁾, libere utitur — quum in Q. rh. fin. accusativi ء aut pronuntietur ا, aut plane reticetur ²⁾; ى vel ى ³⁾ verborum, quorum tertia littera radicalis est ى vel ى, saepe non pronuntietur ⁴⁾; brevis vocalis vocis ى et accusativi modique nashati producat ⁵⁾; ى suffixum aut omnino non, aut ijā pronuntietur ⁶⁾ — etiam plura sibi permittit. Ita rh. fin. leges etiam ad verba, quae non ultima sunt, extendit ⁷⁾; verba paulum mutat vel terminationibus instruit ⁸⁾. Sed in ipso rh. fin. summā utitur licentia. Nam consonantium similibus (maxime m et n, l et r) nullum discrimen admittitur; quod in posterioribus

1) De quibus cfr. Ewald gramm. Arab. I. 373 sqq. II, 335 sq.

2) ut 58, 2; 90, 6; 71, 43 etc.

3) plerumque sic scribitur ى, non ى.

4) 53, 28, 44, 54; 75, 27 etc. Quin 75, 26 reticetur ى.

5) 101, 7; 33, 4, 10, 66; 84, 14; 74, 15. Non raro additur l vel s. Diversae scribendi rationes inde ortae videntur, quod alia M. oracula ab aliis aliter litteris mandabantur.

6) Illud saepissime exprimitur scribendo ى, non ى hoc adscripto ء 13, 32, 14 etc.; 69, 19, 25 sq., 28 sq.

7) Sic 47, 13 cfr. v. 23) pronuntiandum est ى; مثوى لى; 47, 37) ناصراً لى; 47, 14) ناصراً لى; 47, 13) ناصراً لى; 47, 14) ناصراً لى.

8) Pro 55, 4 rh. fin. causa جَانِ dicit, quam verbi formam postea saepius ponit: pro 37, 13) اَبْيَاسٍ dicit اَبْيَاسٍ, quod Muslimi frustra aliter explicare student (cfr. B. ad hunc locum et edit. Petr.); pro 23, 20) سَيِّئَاءَ vel melius سَيِّئَاءَ (cfr. B. ad 23, 20) dicit سَيِّئَاءَ (95, 2).

Sûris 1) latius patet, ita ut non verum *ὁμοιοτέλευτον*, sed assonantia, quam dicimus, remaneat. Praeterea etiam vocales nonnunquam permutat 2); quin in Sûris Mekkauis posterioribus et in Medinensibus saepius rh. fin. frequentissimum *ûn*, *in*, *ûm*, *im* variat syllabis, quarum vocalis est *â* 3). Nam quum multa verba, ut *ʿadâb*, *nâr*, *sultân*, *ʿiqâb*, *albâb*, quibus apte versus finiuntur, talem exitum habeant, sic nimiam compositionis operam evitat. Ita nihil superest, quam ut ultimum versus verbum cadat in syllabam, cujus vocalis longa est. Praeterea nonnunquam unus versus, cui alius est exitus, quam ceteris, rh. fin. quasi concentum turbat 4). Sed tamen nunquam lex omnino deest, et sunt multae Sûrae etiam posterioris aetatis, quarum rh. fin. multo accuratior est. Saepae etiam Sûrarum, quibus est rh. fin. licentior, tamen complures versus artius inter se connexi sunt, quum eundem exitum habeant 5). Interdum duae vel tres syllabae pares sunt, in qua re parvae licentiae facilius excusantur 6).

Ceterum rh. fin. aut per tota capita continuatur, ut saepissime fit, aut post paucos versus mutatur ita quidem, ut saepe prior rh. fin. paulo post denuo inveniatur 7).

Rh. fin. autem tanti momenti est, ut etiam sententiae ei accommodentur. Quid enim? nonne facile intelligitur, M. ea, quae in Sûrae 55 v. 46 sqq. dicit de duobus hortis paradisi, in quorum utroque duo sint fontes et omnium fructuum duo genera, et de aliis duobus hortis, eorum similibus, dicturum non fuisse, nisi versus finirentur syllaba *ân*, quae facillime efficitur numero duali? Similiter numerus octo angelorum, dei

1) Interdum jam in prioribus, ut in Sur. 106 v. 1 et 2 et 3 (qui absolvitur voce *بَيْت*).

2) In Sura 54 rh. fin. est *ir*, *ur*, *ar* praecedente brevi syllaba; in Sur. 55 bis *ain* pro *an*.

3) Facile putabis, ubicunque hoc fiat, vestigia diversae originis esse; sed etiamsi nonnunquam ita est, tamen locis, quales sunt 12, 39, 40 (in quo post vocem *سلطان* distinctio ponenda est) et 41 et 3, 32 sqq., ad quos multi addi possunt, hoc refutatur.

4) ut 74, 10, ubi rh. fin. priorum versuum redit; 82, 6, ubi versuum posteriorum rh. fin. quasi praemittitur.

5) Sic in Sur. 18 rh. fin. est *â* (i*) praecedente fere semper brevi vocali; sed inde a versu 66 usque ad v. 82 rh. fin. (exceptis versibus 78 et 80) est *ra*, praecedente syllaba longa, cujus vocalis brevis est.

6) ut in Sûris 47 et 99.

7) ut in Sur. 80 rh. fin. *â*, qui jam ante fuerat, repetitur v. 39 sqq.

solum portantium, vix commemoratus esset ¹⁾, nisi ثَمَاتِي cum ceterorum versuum exitu conveniret (69, 17).

Muslimorum plurimi quidem, sine dubio offensi, quod divini libri ornatus tam negligenter factus erat, hunc plane occultare studebant, ultimis versuum vocalibus easdem vocalium notas adscribentes, quas haberent, si in medio sermone essent ²⁾. Quin rh. fin. signum, quod est in consonantibus, nonnulli, quoad fieri poterat, celaturi erant, quum alias, quam veras, vocales scriberent ³⁾, aut litteras l et s deleverent ⁴⁾.

Praeter rh. fin. in Q. saepe invenitur *نحوونواوتة* ⁵⁾, qua nonnunquam fit, ut unus versus e compluribus versiculis constet ⁶⁾.

In tribus Sûris cernimus versum intercalarem: in Sûra 54; 55 (in qua tam frequens est, ut legentibus taedio sit); 77. Sed nonnullos versus saepius repeli, etiam in aliis videmus, praesertim in propbetarum dictis et rebus gestis enarraudis ⁷⁾.

Jam quaerendum est, quomodo M. oracula sua litteris mandarit et cum Muslimis communicaverit. De hac quoque re quae tradunt, ea sunt, quae nullo modo vera esse possint. Nam M., simulatque versum vel plures versus accepisset, scribae eos dictasse et dixisse fertur, ut eos collocarent iu hac vel illa parte hujus vel illius Sûrae ⁸⁾. Has singulas re-

1) Possis exspectare aut 4 aut 7.

2) Atqui B. non raro rh. fin. agnoscit; quin verborum formam hujus causa mutatum dicit, cfr. B. ad 27, 27; 33, 10; 36, 67; 73, 8; 76, 3; 87, 6 etc. Ceterorum vocalium signa in ultimis versuum litteris jam inveniuntur in Qoranis Kûficis cfr. Niebuhr Beschreibung v. Arab. Tab. IV et V; de Sacy, gram. Arab. tab. III; Kopp, Bilder u. Schriften d. Vorzeit 2. p. 287; Moeller, Paläogr. Beiträge, in cujus omnibus fragmentis hoc conspicitur, praeter unum, quod omnino vocalium notis caret (tab. 14).

3) Pro هَيْءَ (101, 7) scribentes هَيْءٌ quod idem esse volunt, atque حَاوِيَةٌ (v. 6).

Cfr. Maracc.

4) Cfr. edit. Petrop. marginem ad l. c., ad Sûram 69 et ad Sur. 23.

5) بِأَسَاءَ (11, 13) نَعْمَاءَ et ضَرَاءَ (2, 181; cfr. 92, 7 et 10 etc.) يُسِرُّ et عُسِرُّ (7, 92, cfr. 5, 148 etc.) فَبَرَةٌ لَمِيَّةٌ (104, 1) رَعِيًّا رَقِيًّا (21, 90) ضَعْفُ اللَّيْثِ (17, 77, ubi alias vix ضَعْفٌ, sed مَوْتٌ posuisset) et multa alia. Cum quibus confer nomina similia, composita, ut مَاجِرٌ et يَاجِرٌ (19, 83 et 21, 96) حَارُونَ et مَارُونَ (2, 96) et جَالُونَ et طَالُونَ (2, 150 sqq.)

6) ut 10, 16 ذَانٌ — شَانٌ, 27, 26: نَبَارًا — قَرَارًا.

7) ut in Sura 19; 37 etc.

8) B. in prima explicatione Sur. 9, et Mar. ibid. et de Alcorano 40; Sale prel. disc. 65. Mishk. I, 526.

velationes eum sociis tradidisse, quorum nonnulli eas describerent, ceteri ediscerent ¹⁾. Tum eas redditas esse, ut ponerentur inter duas tabulas (اللوحيان vel الدفتان), ex quibus tamen saepe depromptae et transcriptae essent ²⁾. Sed divisionem capitum prophetam non nosse, donec verba بِسْمِ اللّٰهِ الرَّحْمٰنِ الرَّحِیْمِ demissa essent ³⁾. In his pauca quidem vestigia veritatis insunt, quae tamen ita oblitterata et commentis operta sunt, vix ut possint agnosci. Nam primum dubium est, num omnia M. oracula, nulla mora interposita quidem, conscripta sint. Sed hoc vix magni momenti est. Licet enim facile factum esse possit, ut primis prophetiae annis oracula pronuntiaret, quae, quum ab omnibus negligerentur, evanescerent, M. ipsius memoriã dilapsa ⁴⁾, tamen, quum gravissimum sit in Q., ut legatur (تلا; درأ), jam primi M. assectatores ejus oracula conscripsisse videntur. Unde fit, ut etiam 'Oīmān, Abū Bekr et 'Omar in scribarum numero reponantur ⁵⁾. Et quum 'Omar Muslimus fieret, jam Sūras conscriptas esse, ex omnibus, quae de hac re narrant, apparet ⁶⁾. At scribae M. non erant homines, quibus hoc quasi munus perpetuum mandatum fuisset, sed quolibet socio, scribendi gnaro, utebatur, qui oracula litteris consignaret. Ex qua re magni scribarum numeri ⁷⁾ causa repetenda est. Sed Medinae etiam veros amanuenses, qui vocantur, habuisse videtur ⁸⁾. Illis dictabat revelationes, quae fortasse saepius jam antea pronuntiatæ erant. Saepe autem posteriore ejus aetate factum esse potest, ut in dictando quidem de iis, quae effaretur, cogitaret. Sed sine dubio non singulos versus, non cohaerentes, sed semper tota oracula dictabat. Illam Muslimorum opinionem jam Weilius refutavit ⁹⁾. Sūrae.

1) S. l. c.

2) Mirza Alexander Kazem Beg in Jour. as. Dec. 1843, 375 sq.

3) Mishk. 1, 523 (secundum Ibn 'Abbās).

4) Hoc etiam in Q. conceditur 87, 6 sq. Apud Mar. ad Sur. 2. p. 47 exstant, quae scripsit Jahja: „Dixit Qatāda, oblitum esse prophetam partem (بعض) Qorani; quae ergo non sit in Q.“

5) Nav. 23. Ab. 117. Mem. L, 332 annot. Not. et extr. 8, 357. Weil. M. annot. 552.

6) Nav. 448. Ab. 22 sq. Mem. L, 420. Weil. M. 59 sqq. Spr. 187 sqq.

7) 23 (Nav. 37) vel 26 vel 43 (Weil. M. ann. 552).

8) ut Zaid ibn Tābit; 'Abdellāh ibn Arqam, Ubai ibn Kāb (qui non accurate ab Ab. (117) primus ejus scriba vocatur, quum Nav. (141) rectius dicat, eum primum fuisse, qui Medinae oracula conscriberet. Medinensis enim erat).

9) M. p. 364 et ann. 569.

quas sociis ediscendas vel describendas dedit, saepe ei redditae videntur esse, sed quum modo huic, modo illi traderentur, vix omnes recepit. Quinimo sententiae eorum, qui, M. totum Q. inter duas tabulas reposuisse, narrant, causa non est, nisi quod ejus Q. plane ita institutum fuisse volunt, ut id Q. exemplar, quod postea Abū Bekr colligendum et talibus tabulis muniendum curavit. Sin autem omnes Sūrae domi prophetae fuissent, post ejus mortem non summa opera conquiri debuissent. Sed M. non id agebat, ut eas, aut temporum, aut sententiarum rationem habens, in ordinem redigeret, cujus partes aliae quasi aliis illustrarentur. At tamen ob hanc rem M. non debemus graviter accusare¹⁾. Nam, id quod ait Weilius, eum animo praevidere debuisse, paulo post mortem suam de *litteris* quidem revelationum disceptatum iri, jure postulare non possumus ab homine, ab ea litterarum veneratione, quae apud Muslimos postea maxime increbuit, valde abhorrente. Vix enim unquam cogitavit, quae post mortem suam Q. acciderent, quum Deum haec optime directurum esse crederet, etiamsi ipse nihil ageret²⁾. Quapropter non dubitabat, pro ratione temporum easdem res saepius dicere, quae effatus erat, postea mutare, res, oraculis sancitas, aliis, non minus divinis, abrogare. Quae certe non fecisset, si, omnia oracula uno libro contineri, optasset, qui a posteris divinis honoribus afficeretur; sin vero talem librum componere voluisset, eas tantum Sūras elegisset, in quibus eadem non nimis saepe repeterentur, nec ulla inessent contrarie dicta. Sed M. Sūras, jam editas, postea saepius mutasse vel auxisse, et ex ipsis Q. locis verisimile fit, et e Muslimorum narrationibus apparet, quibus tamen etiam hic summa cautio adhibenda est. Muhammedem nonnunquam ad ea, quae jam litteris mandata essent, pauca ex re addidisse, facillime colligimus ex iis, quae narraisse ferunt Zaid ibn Tābit, quum diceret, prophetam, quum reprehendisset eos, qui non secum in bellum ivissent³⁾, duobus hominibus caecis quaerentibus, hocne se quoque spectaret, statim se, qui ejus scriba fuisset, addere jussisse, eos excipi, qui vitis in corpore affecti essent⁴⁾. Sed etiam, easdem Sūras a M. aliis aliter traditas esse, concedunt Muslimi. Narrant enim, 'Omari et Hishāmo, Sūram 25 non uno modo legentibus, prophetam, utruumque recte legere dixisse, quum

1) ut Weilius (K. 42 sq.) facit.

2) Haec mihi causa fuisse videtur, qua etiam factum sit, ut neminem nominaret, qui post se Muslimis praecesset.

3) Sur. 4, 97.

4) B. ad hunc locum. Mem. L. 424.

Q. in septem أَحْرَفٌ revelatus esset¹⁾. De cuius verbi significatione duae sunt sententiae. Sunt enim, qui in Q. septem res inesse dicant: 1) praecepta, 2) interdicta, 3) narrationes, 4) parabolas, 5) admonitiones, 6) promissiones, 7) minas²⁾. Sed pro hac sententia, quam refellere nihil attinget, plerique voci حَرْفٌ notionem dialecti subjectam esse censent³⁾. M. enim dixisse, primam unam Q. dialectum demissam esse, tum roganti sibi, ut Muslimis Q. lectio facilis fieret, permissum esse, ut 2, tum ut 7 dialecti legerentur⁴⁾. Has ortas esse, quod Gabriel totum Q. (b. e. eos Q. partes, quae usque ad id tempus revelatae fuissent) quoque Ramadāno M. denuo legisset; si quae dempsisset aut mutasset, socios ea memoriae infixisse⁵⁾. Has dialectos esse septem stirpium principum Arabiae⁶⁾: Quraish, Tai, Havāzin, Taqif⁷⁾, Hudail, Tin (?), Tamim, pro quibus duabus alibi uominantur Himjar et Jaman⁸⁾. Sed has dialectos unam tantum esse in rebus sacris; eadem omnibus praescribi et interdici, quum earum sententia una sit⁹⁾. M. autem Muslimos vetasse, de praestantia variarum legendi rationum disceptare; qua re factum esset, ut veteres populi perirent¹⁰⁾.

Harum opinionum vix alia causa est, quam ea cuius jahu mentionem fecimus. Quum enim obscura fama esset, M. revelationes saepe mutasse, Muslimi, hac re offensi, nec scientes, quo modo eam negarent, ita impediverunt, quo minus Q. praestantia minor haberetur, quod non sententiarum, sed pronuntiationis diversitatem fuisse contendunt. Sin autem quaeras, quid sit, cur hoc factum sit, quid, cur deus hominibus Q. lectionem faciliorem facturus, non plures dialectos demiserit, denique cur

1) Mem. L, 425; jour. as. 1843, 377 sq. Mishk. I, 520 sq.; ibid. p. 521 est alia narratio huic similis.

2) Mishk. I, 61 annotatio 'Abd al Haqq, interpretis Sunnarum.

3) Hinc fit, ut nonnulli in vocis أَحْرَفٌ modo commemoratae, locum لُغَاتٌ substituant. Jour. as. 1843 p. 378.

4) Mishk. I, 521 sq. De eadem re, ommissa, ut paene semper, 2 dialectorum mentione, complures narrationes ibid. Idem non dubie narratur Sunna 493, ubi tamen interpres, quum حَرْفٌ etiam litteram significet, M. primam unam, tum 7 litteras revelatas dicit; quas litteras opinatur esse arcanas illas, quae inveniuntur in compluribus Suris.

5) not. et extr. 8, 357. Mar. de Alcor. 40.

6) Mishk. I, 61 not.

7) perperam Jour. as. 1843, 379 legitur et Arabice et Francogallice Shaqif.

8) Jour. as. l. c.

9) Mishk. I, 522.

10) ibid. 521 et 61.

postea 6 dialecti abrogatae sint, nihil sani respondeant. Quantopere vero per se a fide abhorret, M. oracula 7 modis describenda curasse, praesertim quum ejus aetate, qua solas consonantes nec has bene distinctas scribebant, plurima, quae diversa erant litteris exprimi non possent! Huc accedit, quod, Gabrielem locos dempsisse narrantes, majorem diversitatem concedunt. Quae quum ita sint, hoc statuo, Muslimis, eorum, quae ante Otmánum in Q. diversa fuisse, a majoribus acceperant, pronuntiationem tantum diversam fuisse ratis, nihil facilius se obtulisse, quam putare, hoc factum esse dialectorum discrepantia. Numerus autem electus est et ob antiquam ejus sanctitatem et ad similitudinem septem editionum posteriorum (النسب). Itaque jam nihil reliquum fuit, quam ut stirpes enumerarent, quarum lingua deus usus esset. Quare nominaverunt 7 gentes Arabiae mediae et ad septentriones vergentis, quarum dialecti clarae erant et quae ipsae opibus et armis valebant. Sed alii, etiam stirpium, quae Arabiam australem incolebant, rationem habentes, Himjar et Jaman in earum numerum retulerunt, ejectis duabus aliis. Sed mirum est, non commemorari dialectum ullius stirpis urbem et agrum Medinensem habitantis¹⁾. At septem editionum posteriorum rationem ductam esse, etiam eo verisimilius fit, quod sunt, qui eas easdem fuisse dicant, atque illas²⁾. Ab hac opinione non multum discrepant ii, qui editiones priores diversas fuisse dicunt terminationibus verborum declinabilium, quae dicuntur. Quod absurdum esse, quum litteris hoc exprimi non possit, jam intellexit Kazem Beg³⁾.

Ceterum quamvis factum esse possit, ut M. Muslimos vetaret disceptare, quae forma oraculi, diverse diversis temporibus a se editi, melior esset, tamen magis crediderim, eos, qui impedire vellent, quominus de praestantia variarum, quae sua aetate erant, lectionum orientur altercationes, Islámo periculosissimae, dixisse, M. hoc fieri vetasse, quum omnes lectiones aequae bonae essent.

Ab iis, quae M. mutavit tantum, diversa sunt abrogata (منسوخ). Quorum quanquam reapse unum tantum genus est, Muslimi tria genera volunt esse⁴⁾; qui quum, Q. qui nunc est, omnino talem esse, conten-

1) Ceterum verisimile est, M. cuique Muslimo permisisse, ut Q. verba eo modo pronuntiaret, qui cum ejus dialecto congrueret: ita ut etiam hac re illa Muslimorum opinio quodammodo adjuvetur et explicetur.

2) Jour. as. l. c. p. 379.

3) ibid.

4) Abū'l Qasim Uiba't'alláh apud Mar. de Alcorano 42 et in Fleischeri catalog. codd. Lipsiens. 396.

dant, qualem M., deo iubente, instituerit, etiam ea oracula, quae aut plane inferiorum, aut ab iis, qui Q. collegerunt, omissa sunt, abrogata habent¹⁾. Nos autem ea tantum spectamus, quae M., antea sancita, rerum mutatione effecta²⁾ irrita fecit, plerumque aliis revelationibus. Quod facile patet frequentissimum fuisse in legibus, in quibus ferendis tempori maxime serviendum est. Quodsi huius Q. rationem habemus, tria sunt genera, quum in eo sit aut abrogatum et abrogans aut solum abrogans, aut abrogatum³⁾. Sed alios versus M. abrogasse videtur, quia eorum dicendi genus ei jam non placebat⁴⁾. Quia versus, quos socii litteris mandaverant, sua manu delevit, ut videmus e narratione, cujus auctor esse dicitur Ibn Mas'ud⁵⁾. Cetera, quae aboleverat, socios vetabat ediscere; sin hoc jam fecerant, iis praecipiebat, ut memoria ea deponerent⁶⁾.

Jam restat, ut explicemus, quomodo factum sit, ut M. eo audaciae procederet, ut omnes adversarios palam provocaret, primum ut decem Sûras⁷⁾, tum ut unam⁸⁾ quidem proferrent; quod quum facere non possent, viderent, sibi uni divina oracula patefieri. Quae res Muslimis semper summo documento erat, quo appareret, nihil humani aequare Q., quem ne homines quidem poesis et eloquentiae gnarissimi, qui eo tempore plurimi vivebant, imitari ausi essent⁹⁾.

Sed hic animadvertimus, M. cives cohortatum esse, non ut aliquid orationis venustate Q. superans vel aequans afferrent, — quod si fecisset, facile a claris poetis suae aetatis victus esset, — sed ut orationem conficerent, Q. oraculis ipsa natura parem. Hoc autem facere non poterant idololatrae. Qui enim fieri potest, ut ii, qui complures deos colebant, se, ab unico Deo inspiratos, idololatriam offendere, contenderint, — qua re propria et certa Q. natura efficitur? Et quomodo homines, quorum animi in prorsus alias res intenti erant, orationis et argumentorum

1) Itaque haec genera distinguunt: 1) quorum sententia abrogata sit, quanquam ipsa in Q. exstent. 2) quae ipsa abrogata sint, remanente sententia. 3) quorum nec sententia nec verba supersint.

2) cfr. B. ad 2, 100.

3) Si ita Q. locus, quo alius irritus factus erat, temporis injuria deletus est, Muslimi eum Sunna abrogatum ducunt; quanquam sunt, qui hoc non concedant (cfr. B. f. c.)

4) Cfr. Weil. M. ann. 597 p. 384.

5) Mar. de Alcor. 42 (ex quo loco eam sumpsit Weil. M. annot. 597).

6) Weil. l. c.

7) Sur. 11, 16.

8) Sur. 10, 39: 2, 21.

9) Cfr. praefationem, quam B. commentariis suis praetexit plurimosque alios Muslimorum locos.

dispositione M. similes esse poterant? Hoc facere non sustinebant M. adversarii, nisi forte e Q. quasi centonibus, quos dicunt, Sûram composuissent, vel M. quidem exemplum religiose imitati oraculum confecissent¹⁾, quod tamen cum exemplari comparari non potuisset.

Sciens igitur M., praeter eum, qui se a divino spiritu agitari sentiat vel ipsi ingenii forma similis sit, neuinem oraculorum, Sûris similium, auctorem esse posse, adversarios provocavit, ut hoc modo secum certarent.

Memoria dignum est, etiam alios, qui, M. imitati, prophetae personam susceperunt, talibus oraculis prophetae documenta dare voluisse. Exstant quidem complures Sûrae Musailimae (quem Musilimi Mendacem — المذّاب — vocant) et Saġâbae, mulieris prophetam sese perhibentis; quae paene omnes Qorâno imitando effictae atque expressae sunt, ita ut vel verba et *φράσεις* Q. in iis cernantur; quanquam tantum singulare habent, ut eas suppositas esse, non sit, quod censeamus²⁾.

II. DE ORIGINE SINGULARUM PARTIUM QORÂNI.

Postquam generatim atque universe de M. oraculis disseruimus, jam nobis quaerendum est, quam singulae Q. partes habeant originem. Sed perspicuum est, non ea modo oracula haecanda esse, quae in hoc Q. legantur, sed, si quae sint, quae exsint, quamvis in Q. recepta non sint, aut, quae revelata fuisse, fama acceperimus vel conjectura suspicari possimus, etiam de his agendum esse. Atque quicumque in originem libri vel partis libri inquisiturus est, considerare debet et tempus, quo confectus sit, et causam, qua auctor ad conficiendum adductus sit. Sed ut quodammodo intelligamus, num id, quod expelimus, totum, an ex parte tantum effici possit, primum cogitandum est, quibus rebus in hac re exploranda adjuvemur, et quibus difficultatibus haec quaestio obstructa sit.

Primum, quo adjuvamus, sunt res, a rerum gestarum scriptoribus narratae, quae in Q. aut aperte commemorantur aut ita quidem significantur, ut accuratius quaerenti obscurae non sint. Ita si, quam Q. partem e re nota et certa ortam esse, perspicere possumus, ejus origo et

1) Ut Musailimi ceterique prophetae, M. imitati.

2) Inveniuntur apud Tabarium (ed. Koseg.) I, 134, 136, 152. Ex quo unius Sûrae reliquiae sumpsit Abū'lfarāġ (in Pocock. specim. p. 12). Duae, quarum forma a Tabariana paulum discrepat, leguntur apud Abulf. (Rske) I, 210. Maxime commemorandum est, Musailimae oracula plerumque ordiri a juribus jurandis, sine dubio factis ad similitudinem eorum, quae sunt in M. Sûris prioribus.

aetas minime dubiae sunt. Sed hoc ut non saepe fiat, compluribus causis efficitur. Nam talium rerum commemoratio in Q. non admodum frequens, quin in Mekkanis Sûris perrara est, quia M. ante Fugam non res gerens rerum gestarum non magnam rationem habebat. Saepe autem, quae dicit, compluribus rebus, ab historicis narratis, apta sunt. Aliorum locorum aetas ex iis, quae illi prodiderunt, quodammodo, sed non ita cognosci potest, ut exquiramus, quo anno vel mense revelati sint. Sed permagna difficultas ea est, quod M. vitae omnino non satis accuratam scientiam habemus. Nimirum de tanto viro, qui prophetiae vi ex homine, a popularibus despecto, potentissimus Arabiae rex factus est, jam vivo in populo vividissimi animi fabulae fingi coeptae erant, quae post ejus mortem consulto et non consulto ita augebantur, ut res gestae iis plane occultarentur. praesertim quum longum tempus praeteriret, donec perpetua M. historia conscripta est¹⁾. Minime autem curabant temporum descriptionem, quod, quum per se facile sit explicatu, etiam eo effectum est, quod anno 17 demum ab Omare certa annalium ratio instituta est²⁾. Unde fit, ut et omnes Muslimi nonnullas res, anno quodam gestas esse narrent, quae alio tempore factae sint oportet³⁾, et ut de aliarum aetate sit controversia, de qua certe decidere vix possimus⁴⁾. Quodsi res, post Fugam peractae, tam incertae sunt, non miraberis, multo incertiora esse, quae ante eam gesta sint, quum ea, quae de M., Mekkae degentis, vita narrant, similia sint fabulis, quam verae historiae, ita ut aetas paene omnium rerum, quarum mentio fit in Mekkanis Sûris, valde ambigua sit. Itaque, quum earum numerus etiam otunino parvus sit, Mekkanorum Sûrarum aetatem persecuturi ab historia non multa adjuvamenta petere possunt; quod aliter quidem se habet in Sûris Medinensibus, sed etiam hic permulta incerta sunt.

Tum adjuvamus in hac quaestione alios, quae docent Muslimi. Nam praeter ea, quae ad historiam pertinent, plurima collegerunt, a majoribus tradita, quibus et singulorum locorum et totarum Sûrarum originem explicarent. Sed Muslimorum narrationibus cautissime utendum esse, jam supra saepius intelleximus. Nam Muslimi etiam hic magis ea sequuntur.

1) Nonnulla, quae tradebantur, jam primo saeculo litteris mandata dicuntur; quin hoc jam M. aetate factum esse volunt (Spr. 67). Sed haec M. dicta, non historiam spectasse putanda sunt.

2) Nav. 25. Ab. 36.

3) Et quae dicunt de legato, ad Chosroem Parviz misso, quem regem, antequam hoc factum esse volunt necatum esse, e certis litterarum Byzantarum monumentis intelligitur (cfr. Weil. M. ann. 307 et C. de Perc. 3, 190 ann.).

4) Et de bello, gesto cum Mustaliqensibus; de bello Nadirensi et de aliis rebus, quae ad complurium Sûrarum aetatem inventiendam, summi momenti sunt.

quae a patribus acceperunt, licet sint maxime confusa, pugnantia, veri modum excedentia, in solis conjecturis posita, quam ut *via et ratione* vera quaerant. Quo fit, ut saepe ad explicandam originem locorum, quos Mekkae revelatos esse, et ipsi dicunt et e nullis rebus videmus, narrent res, Medinae gestas ¹⁾, et ut alios locos, quibus generalim de hominibus piis aut impiis agitur, revelatos dicant de uno homine, vel de paucis. Quo accedit, quod saepe complures diversissimas interpretandi rationes commemorant et quod uni versui aliam originem esse dicant, atque alteri, quem cum illo cohaerere, jam e verborum consecutione sequitur. Denique multae narrationes vel e falsis explicationibus ortae sunt, vel verae quidem sunt, sed ita, ut in iis non insit causa oraculorum, quum haec postea demum ad res, in ipsis commemoratas, dijudicandas adhibita sint. Qui autem a Muslimis bonam originis explanationem exspectare possumus, inter quos sint, qui cuique versui unam sententiam externam et 7 internas esse velint ²⁾? Sed tamen in tanta dubiorum et falsorum multitudine multa sunt, quae, inde a prophetae aetate liberis posterisque prodita, certum quasi historiae habeant fundamentum, ita ut considerato homini magnum afferant adjumentum. At non modo tales narrationes, sed etiam certas quasdam leges tradunt, ex quibus intelligatur, locus Medinensis sit, an Mekkanus. Sed hae leges, quarum numerus parvus est, aut tales sunt, ut a quoque facile inveniantur, aut non satis angustis finibus circumscriptae ³⁾. Idem dicendum est de Sûrarum inscriptionibus, quibus aut Mekkanae aut Medinenses vocantur. Quae quanquam saepissime verae sunt, tamen nec locorum Medinensium, qui sunt in Sûris Mekkanis, Mekkanorumque, qui sunt in Medinensibus, justam rationem habere, et complures diversas sententias afferre solent ⁴⁾. Sed hac re non contenti, etiam tabulam composuerunt, qua omnes Sûrae ex ordine enumerarentur ⁵⁾. Quod quum jam ob variam Sû-

1) Exempla hujus rei et ceterarum, de quibus hic agimus, infra satis multa afferemus. Ceterum ea, quae Muslimi de versu dicunt, si falsa aut nimis dubia sunt, infra non semper commemorabimus. Cfr. de hac re Ibn Hishâm et explanatores Q.

2) Fleischer catal. Lips. 395. Quod tamen ab aliis improbat. Cfr. Mouradgœa d'Ohsson tableau de l'empire Ottoman. I, 106 sq.

3) Ita B. (p. 35 lin. 10) doctum quendam tradere dicit, locos, in quibus legatur, „o homines!“ semper Mekkanos, in quibus: „o credentes!“ semper Medinenses esse. Accuratius autem Jahjà (Mar. du Ateor. 38), ubicumque reperiat hoc, locum Medinensem esse dicit, sed ubi illud, plerumque quidem Mekkanum, sed non semper.

4) Ceterum hae inscriptiones non inveniuntur in Q. antiquissimis. Cfr. Adler, descriptio Coran. Cufic. 27; Mém. L, 345 ann. Etiam apud Niebuhrum (Beschreibung v. Arab. tab. IV) inscriptionem non cernimus.

5) Confecta est ab Husain ibn Vâqid: primus eam edidit v. Hammer (Wien. Jahrbh. 69, 82 sqq.); tum, paucis diversam. Weil. (M. 364 sqq.).

rarum compositionem per se bene fieri non possit, tot et tantis erroribus referta est, ut paene nihil fructus ex ea percipiamus.

Quae quum ita sint, aliud nobis quaerendum est, quo id, quod expetimus, melius inveniamus. Hoc constat in diligenti observatione sermonis et sententiae ipsius Q. Ex cujus dicendi genere, quum M. ab elatione et altitudine fervidae orationis paulatim quasi transeat ad orationem, non raro humilem et jejunam, fere semper cognoscere possumus, locusne priore, an posteriore prophetiae tempore promulgatus sit. Multum momenti est etiam in longitudine versuum. Nam initio orationi dissipatae et numerose cadenti multae distinctiones necessariae sunt, sed sensim placidioris orationis, quasi aestu defervescente, membra longiora fiunt. Praeterea duorum locorum uter prior sit, saepe intelligimus ex aliis rebus, maxime, si utroque de eadem re agitur. Nam si ita est, saepe e verbis vel e sententiis mutatis locus aetate prior conspicitur. Omnino nonnunquam verbum, hic rerum contextui vel rhythmio finali necessarium, illic ad ejus exemplar tantum ponitur, ut dubium non sit, qui eorum sit ordo. Sed tamen his, ut aliis hujusmodi adjumentis, cautissime utendum est, quum facillime iis fallamur. Idem fit in diversis locis, ex quibus Sûrae compositae sunt, disjungendis. In qua re quum rhythmio finalis verborumque similium, tum totius dicendi generis sententiarumque ordinis ratio habenda est. Qui ordo ubi plane solutus est, nec videmus, sententia mente supplenda eum restitui posse, nec sententiam quasi intermissam esse, qua absoluta oratio, unde digressa sit, eo revertatur, quorum utrumque in hac dissipata et quasi abrupta dicendi ratione non rarum est, diversam originem cognoscimus.

Quodsi his utimur, multa quidem intelligere possumus; sed quum ea saepe non sufficiant, praesertim si externis, quae dicuntur, adjumentis destituti sumus, multa restent necesse est, quae minus certa sint. Quod hic eo magis fit, quo minor est numerus eorum, qui hanc rem tractarunt. Nam praeter eos, qui collegerunt, quae Muslimi tradant, de hac re paene solus scripsit Weilius ¹⁾, a quo etiamsi saepius dissentimus ejusque sententias accuratius definire studemus, tamen ei plurima dehemus.

Omnium Q. Sûrarum duo sunt genera, quae efficiuntur Fuga, qua etiam tota ejus vita prophetica in duas partes divisa est. Quae divisio quum facillime se offerat et quum jam antiquitus a Muslimis observata sit, etiam nobis sequenda est. Sed, ne longi simus, omnes locos, re-
velatos ante Fugam, Mekkanos, post Fugam Medinenses appellabimus, quam-

1) M. 350 sqq. et multo accuratius K. 42 sqq.

vis in alia urbe, quam in ea, a qua nomen duxerint, divinitus demissi sint.

Ceterum, ubi compluribus unius Sûrae partibus non eadem aetas est, si facile separari possunt et ad res ipsas graves sunt, quamque partem in suo ordine referam; sin minus, unam partem asserens, etiam ceterarum mentionem faciam. Praecipue longae Sûrae Medinenses nimis divellerentur, si, solius temporis ratione habita, diversarum Sûrarum particulas proniscue enumeraremus.

A. SÛRAE MEKKANAE.

Dissentiunt scriptores, quamdiu M. post Missionem Mekkae degerit. Nam vulgo quidem hoc spatium 13 annorum fuisse tradunt ¹⁾, sed sunt etiam, qui eum 15 annos Mekkae prophetae partes gessisse dicant ²⁾. Quod Sprenger ³⁾ verum habet, sed ejus argumenta mihi non ea videntur esse, quibus sententia vulgaris refellatur. Nec ipse Sprenger sibi constat, quum, singularum rerum aetatem referens, ceteros, qui inter Missionem et Fugam 13 annos interesse censent, sequatur ⁴⁾. Ego quidem hanc dissensionem inde ortam puto, quod nonnulli id tempus, quo primo divino spiritu tactus est (quum 37 vel 38 annos natus esset ⁵⁾, cum ipsa Missione confuderint; quae quum fuisset, postquam M. 40 annos confecerat, et quum scirent, post *illam* rem eum 15 annos Mekkae fuisse, 55 annos natum Medinae migrasse videntur conclusisse ⁶⁾. Quae sententia confirmatur re, quae est in illa narratione, cui Sprenger tantum attribuit. Nam hujus auctor narrat, M. 7 annos anxie haesitasse ⁷⁾. Quod

1) Ibn Sa'd. Ab. Weil. C. de Perc. Ggn. etc. cfr. praecipue Misbk. II, 577. Ibn Cotaibas Handb. d. Gesch. ed. Wüstenfeld p. 74 sq.

2) Ibn Sa'd. Mishk. I. c. Utrumque Ibn 'Abbas auctoritate nititur. Pauca sunt, ex quibus ita appareat, quantopere secum repugnent ea, quae Muslimi sine iudicio de M. congesterunt. Cum hac opinione cohaeret, M. secundum Ab. (113) et Nav. (29) a nonnullis 65 annos natum mortuum esse ferri. Nam omnes consentiunt eum 40 annos ante Missionem et 10 post Fugam degisse (Spr. 110 ann. 2).

3) *ibid.*

4) ut p. 183 (de migratione in Aethiopiam).

5) Ggn. ad Ahulf. 14. Wien. Jahrbh. 69, 36. Spr. 103 ann. Weitius hujus rei mentionem non facit.

6) Aliter Nav. 29 hanc differentiam explicare studet.

7) Ibn Sa'd. Mishk. I. c., ubi narratur, prophetam post Missionem 15 annos Mekkae degisse; 7 annos eum vocem audisse lucemque conspexisse, et 8 annos eum oracula accepisse. Etiam hoc, posteriore loco narratum, ex Sprengerii sententia explicari non potest. verum ex nostra, quum primis 4 vel 5 annis raro tantum oracula acceperit. postea autem sine intermissione.

temporis spatium non potest explicari, nisi duos vel tres aunos, qui sunt ante veram Missionem, ad 4 vel 6 annos addimus, quos ejus animum incertum fuisse scimus. Denique alii eum 10 annos Mekkae prophetam fuisse existimant ¹⁾. Nos autem, ut vulgo fit, 13 annorum hoc spatium fuisse statuimus, etiamsi non negavius, fieri posse, ut hoc falsum sit. Sed omnino haec res, quanquam non prorsus negligenda est, tamen non est magui momenti ad ea cognoscenda, quae quaerimus.

Omnibus Sūris Mekkanis M. nihil intentius agit, quam ut, pugnaus contra cultum simulacrorum, ad verum deum colendum homines cohortetur. Quidquid dicit, quocunque oratio aberrare videtur, haec ubique est summa sententia, qua cetera velut fundamento nituntur. Itaque laudat deum, studet describere, et qualis ipse sit et qualem se praebeat quum rerum natura hominumque historia, tum omnium rerum fine, contra demonstrat infirmitatem falsorum deorum monetque, ne iis adorandis commoveant iram dei, qui eos aeternis cruciatibus affecturus sit. Atque paene e quoque loco apparet, M. magna audacia impugnare homines, ipso multo potentiores, qui ea, quae, quamvis falsa, ob longam vetustatem sancta habeant, omni modo defendant. Sed contra Judaeos raro, contra Christianos paene nunquam dicit ²⁾. Praeterea, quum, res ab ipso, vel ab aliis gestas perpaucis locis respiciat, quum sententia prope omnium versum aut communis sit aut sit de hominibus et rebus, nobis non bene notis, dicere non possumus, quae cujusque loci aetas et origo sit. Attamen, quum quicumque Q. vel negligenter legit, dicendi genus diversis temporibus diversissimum fuisse, intelligat, accuratius quaerens certas quasdam Sūrarum series invenies, quae simili dicendi ratione et aetate cohaereant. Praecipue duo Sūrarum genera animadvertes, quorum alterum constat ex iis, quae primitis, alterum ex iis, quae ultimis annis, Mekkae peractis, revelatae sunt, ita tamen, ut inter haec genera, quibus est forma propria et peculiaris, intersit magnus numerus aliarum Sūrarum, quarum priores illis, posteriores bis similes sunt. Hae igitur sunt Sūrae aetatis secundae ³⁾.

1) Ibn Sa'd. Praeterea Ab. et Nav. (l. l. c. c.) afferunt sententiam, ex qua 60 annos confecerit.

2) Cavendum est, ne, ubicumque eos impios esse dicit, qui Deo progeniem (أولاد) esse credant, Christianos significari censeas; quum saepe idololatrias impugnet, qui divina numina, quae colebant (quae in Q. saepe angeli dicuntur) dei optimi maximi (الله تعالى), quem etiam Arabes agnoscunt, filios habebant. Cfr. 37, 149 sqq.; 6, 100 sq. etc.

3) Haec tria genera invenit et optime disposuit Weilius; a quo paene nunquam ita dissenso, ut Suram in aliud genus referendum censeam, quam ille. Quanquam ne-

Sed etiam singularum ordinem certe intelligere ego quidem non potui. Nam haud parva opera in hanc rem collata, quum jam quodammodo eam assecutus esse mihi viderer, denuo, quae composueram, examinans, cognovi, plurimis non esse argumenta firma et ad persuasionem apposita. Nam in his Sûris jam perdifficile et saepe incertum est, omnino priores a posterioribus separare, nedum ubique singularum ordinem restituamus. Interdum autem hoc fieri potuisse, non est, quod mireris.

I. Sûrae aetatis primae.

Haec aetas, quum ex primis 4 annis perpaucae tantum Sûrae supersint, et quum Sûra 53 a compluribus scriptoribus, in hac re a fide vix abhorrentibus, anni 5 mense Ramadâno revelata feratur¹⁾, primis fere 5 vel 6 annis effici videtur. Nam non dubito, quin illa Sûra multae aliae hujus aetatis posteriores sint. Sed hanc temporum descriptionem certam non esse concedo.

Has Sûras omnes e propria orationis indole cognoscimus. Nam M. quum hac aetate prima et sunnna prophetiae vi agigaretur, qua efficiebatur, ut saepe dei legatum aspicere sibi videretur, fieri non poterat, quin hanc vim exprimeret etiam Qorâno, quippe quo cum ceteris communicaret, quae sentiret et crederet. Itaque, ut apud antiquissimos Israëlitarum prophetas²⁾, loquentis persona quasi occultatur, quum homo pronuntiet tantum verba numinis divini, a quo agitur³⁾. Tanto auctore ut digna sit, oratio grandis et elata est. Nam etiamsi numeris astricta non est, tamen est maxime poetica, crebra imaginibus, audacibus quidem, sed paene semper venustis, plerumque *εὐφρονος*, concisa, saepe res magis significans, quam explicans, itaque interdum subobscura. Hanc ob dicendi breviter et ob causam supra⁴⁾ dictam versus perbreves sunt; quumque fieri non possit, ut summa animi commotio per longum tempus maneat, breves sunt etiam omnes Sûrae hujus aetatis. Illam animi incitationem optime cernimus in juribus jurandis, quibus in Sûrarum exordiis, vel rarius in mediis oraculis, se vera dicere, affirmat. Jurat au-

gare non possum, fines singularum aetatum non accuratos esse, ita ut Sûram 17, quam nos primam ultimae aetatis fecimus, etiam ultimam secundae habere possis.

1) De qua re infra.

2) Ewald, Propheten des A. T. I, 30 sq.

3) Quem loquendi morem quanquam postea sola consuetudine servabat, ipsius spiritus vi valde deminuta, tamen negare non possumus, hac aetate aptum et necessarium fuisse.

4) p. 29.

tem per res, quae maxime animo obversantur, ita ut nobis saepe mirae videantur. Haec jura juranda ob dicendi brevitatem, talibus exclamationibus necessariam, interdum obscuriora sunt, ita ut etiam Muslimi de eorum sententia incerti sint. M. autem quum tanta animi commotione affectus, talia proferret, fieri non poterat, quin a popularibus aut mendax esse aut daemoniaca quadam vi agitari putaretur. Itaque erant, qui eum haberent vel poetam, qui, ut fere fit, cogitationis calore abreptus esset, vel vatem, qui, ut ceteri vates¹⁾, a genis regeretur, vel hominem

vesanum, qui esset in potestate malorum daemonum (تجنون). Quin M. ipsum initio talia censuisse, haud obscura fama proditur²⁾. Sed postquam vim, qua commoveretur, divinam esse, sibi persuaserat, nihil antiquius habebat, quam ut has opiniones quovis modo oppugnaret, quibus nihil magis ejus consiliis obesse poterat. Qua re maxime invehitur in eos, qui his dicendis ipsum deludant, vel omnino, eum mentiri praestigiisque ceteris impositurum esse, dicant. Nonnullis igitur Sûris quosdam, qui adversariorum principes fuisse putandi sunt, impugnat eosque aeternas contumaciae et impietatis poenas duros esse affirmat.

Harum Sûrarum gravissimae sunt eae, quae primis prophetiae annis revelatae sunt, quum ex iis Islâmi originem intelligamus. His igitur ea, quae a rerum scriptoribus accepimus de M., prophetae munere fungi jusso, tum diu novam doctrinam profiteri cunctato, sed tandem eam palam professo et paulo post gravissimis contumeliis vexato, optime illustrantur et nonnunquam emendantur. Sed ex his paucae tantum exstant, quum et M. eo tempore, quo summa consilii inopia affectus erat, non multa oracula dedisse possit, et quum alia, litteris non mandata, ex ipsius memoria excessisse videantur. Fieri etiam potest, ut alia postea ipse deleverit³⁾. Ceterum harum Sûrarum dicendi genus simplicius et quietius est, quam ceterarum primae aetatis; nam animus M. hoc tempore sensim confirmatus est, nec antequam a multis acriter impugnaretur, gravissime exarsisse videtur.

Primam revelationem, M. datam, prope omnes Muslimi dicunt esse primos 5 versus Sûrae 96⁴⁾. Qui non minus difficiles sunt intellectu,

1) Vates licet non, ut dicunt Muslimi, e sua cogitandi ratione omnia judicantes. (Spr. 107) Satanæ et daemonum, furtim coelestium sermones auscultando excipientium, socii haberentur, tamen sine dubio malorum geniorum auxilio furore quodam affecti oracula fundere putabantur.

2) Weil. M. 46. Spr. 106 sqq.

3) Quae est sententia Weilli (K. 54 sq.)

4) Ab. 15. Mishk. II, 678 sqq. Sale. Ed. Petrop. Mar. C. de Percey. I, 354. Spr. 95 sq. Weil. M. 45 sq. etc. Si qui Suram 96 (universam) primam esse dicunt, haec non est sententia discrepans, sed non accurate loquuntur. Distincte apud Ibn Sa'îd legimus, ceteros versus posteriores esse.

quam graves ad totum Q. intelligendum. Summa difficultas est in prima voce ^{أقرأ}, quam varie explicant. Nam Muslini quidem vulgo narrant, M. Gabrielem se obtulisse, ferentem pannum sericum, in quo haec verba scripta fuissent; quae legere jussum, eum ad illum excusationem parasse, sed Gabriele instante tandem ea legisse. In qua narratione, etiamsi hoc visum nocturnum fuisse statuimus, tamen hoc explicari non potest, M. juberi recitare ea verba, in quibus ipsis hoc praeceptum insit (jubetur legere: lege! etc.). Sprengeri¹⁾ sententiam veram non esse posse, jam supra demonstrare studuimus²⁾. Weilius³⁾ denique Muhammedi imperari existimat, ut recitet oraculum, antea vel simul demissum. Sed oraculum jam a M. litteris mandatam esse, mihi verisimile non est. Ego totam M. conditionem hanc fuisse fingo: M. jam fere biennium⁴⁾ attentissime cogitaverat de deo uno et de rebus divinis; jam altiore quadam vi impellebatur, ut, quae intellexisset, ceteros doceret; sed natura non audax, nec, quae animo suo observarentur, plane cognita atque perspecta habens, Hará'i montis solitudine petita in cogitatione defixus erat. Quid igitur facilius, quam ut per somnium⁵⁾ vel per *ἐκστασιν* divinam vocem audire sibi videretur, praecipientem, ut legeret, quae deus, qui hominem creasset, (qui igitur ejus dominus esset, cui obediendum esset) ipsum docuisset; cunctanti sibi nec scienti, quid responderet, iterum idem dici, quia deus et esset potentissimus et hominem (ipsum) legendo et scribendo (القلم) instituisset, quarum artium ante ignarus fuisset (et quibus uti posset, ut divinitus sibi patefacta divulgaret). Summa autem horum sententia est, M. juberi prophetae munus inire, legere et conscribere vel conscribenda curare ea, quae a deo acceperit. Itaque vix oraculum, jam ante demissum, significatur; sed omnia, quae usque ad id tempus veriora intellexerit, maxime illud لا اله الا الله pronuntiare jubetur. Prima igitur vox Lectionis (قرأ) est »lege« (أقرأ). Nox autem, qua M. hoc revelatum est, sine dubio est celebratissima illa ليلة القدر, qua M. ipse, Q. a deo demissum esse, h. c. demitti coeptum esse, dicit⁶⁾.

1) p. 95 sq. Spr. v. 4 significare censet: »qui revelavit libros.«

2) p. 11.

3) K. 56.

4) cfr. p. 30 ann. 5.

5) Somnianti haec revelata fuisse dicit etiam Ockley I, 299; sed vereor, ne auctor, quem sequitur, posuerit, ^ك _ب, quae vox quodque visum, non solum visum nocturnum significat.

6) Sur. 97, 1. Falsa est sententia eorum, qui M. dicere putant, Q. hac nocte

Ita M. a deo mandatum erat, ut, prophetae partibus susceptis, ceteros homines cohortaretur ad novam doctrinam amplectendam; sed M., qua erat animi infirmitate, diu cunctabatur, dei mandata exsequi. Quanquam enim paucos, quibuscum propinqua cognatione conjunctus erat ¹⁾, ad suam doctrinam traduxisse videtur, tamen tantum aberat, ut eam cum multis communicaret, ut eam diligentissime celaret. Non male igitur hoc spatium intervallum (الْفَتْرَة) dicitur. Attamen erraremus, si hoc tempus, quod paene 3 annorum fuisse videtur ²⁾, nullius momenti fuisse putarem; quanquam enim plerumque graviter incitatus esse et interdum, vires suas ad munus oblatum obeundum non satisfaceri, censis, desperasse videtur, ut sibi ipse mortem consciscere vellet ³⁾, tamen doctrinam excoluisse et multa, quae ei obscura fuerant, paulatim melius intellexisse putandus est. Sed nimium his annis attribuit Sprenger, qui eum legendis sacris libris et attentius cogitando sensim tum demum idolorum cultum reliquisse dicit ⁴⁾. Hoc enim ante omnia tenendum est, M. ea tantum re, quod, unum deum, omnibus similibus carentem, esse, credebat, prophetam factum esse. Nec dubito, quin idem maxime erret, *certum* esse contendens, M. his annis multas Sûras composuisse ⁵⁾; quasi tempus, negotiis vacuum, praetermittere nolisset, quin in posterum provideret, quo tempore oraculis uti posset. Quod neque per se verisimile est, neque confirmatur ulla Sûra, quae sit in nostro Q. Quamvis enim fieri possit, ut M. nonnunquam divinas species videre et oracula accipere sibi visus sit, tamen haec deleta sunt; ea enim, quibus M., se a geniis agitari, negat, quae Sprenger huic aetati attribuit, postea data sint oportet, quum in iis planis verbis iuvelatur in inimicos, res divinas ludibrio habentes, quod fecisse non possunt, antequam, eum prophetam sese habere, scirent ⁶⁾.

in coelum infimum demissum esse (cfr. B. ad 2, 181, et ad 97, 1). Haec nox sine dubio fuit mense Ramadâno (cfr. 2, 181 cum 97, 1); ut putant etiam plurimi Muslimi quanquam de die ipso dissentiunt (cfr. Mishk. 1, 491. Sale ad Sur. 97. Weil. ann. 49). Alii vero hoc factum esse volunt mense Rabi 'al'avval (Hottinger 389 sq.), quo mense etiam natus esse fertur Ab. 2. Nav. 29. Weil. ann. I. Spr. 75 etc.

1) Cbadiga, Zaid, 'Alî.

2) Mishk. II, 678: aut 3 annorum aut duorum et dimidii aut 6 mensium; quocum consentire videtur scriptor, qui Sur. 74 septem mensibus post Missionem revelatam dicit. (Wiener Jahrb. 69, 36).

3) Spr. 105 ann. 3: 109 ann. 2.

4) p. 103 sq.

5) p. 104 sq.

6) Nam per ludibrium haec dicta esse, apparet, quanquam Spr., M. amicos talia protulisse, dicit.

Hujus intervalli finis factus est demissis 7 primis versibus Sur. 74. Cujus originem explicaturi Muslimi multa narrant, quorum summa est, M. in Hara'o Gabrielem, vera sua forma indutum, affirmantem, eum revera dei legatum esse, aspexisse; qua specie eum ita obstupefactum esse, ut domum festinans ¹⁾ Chadiġam rogasset, ut se tegumentis involveret; quo facto eum intermortuum hanc Sūram accepisse ²⁾. Sunt, qui eam primo loco revelatam esse censeant ³⁾; quod Sprenger recte factum esse dicit, quia M., ea accepta demum munus suum suscepit. Alii, ut idem dicit, maxime Buchārii auctoritatem secuti, eam paulo post Sur. 96 revelatam esse tradunt ⁴⁾. Sed hoc et aliorum Muslimorum ⁵⁾ narratione et re ipsa refellitur. Hos versus autem ei revelatos puto, postquam re vera, Gabriele rursus aspecto, se verum prophetam esse, sibi persuasisset, cujus esset ceteros hortari ⁶⁾. Hanc rem Muslimi multis rebus exornare studuerunt. Sed ⁷⁾ مَدْتَرٌ non est is, qui vestibus vel tegumentis involutus est, sed is, qui indutus est vestibus *sordidis*; has autem, ut omnem impuritatem corporis et animi, abjicere jubetur; impuritas autem est idololatria, quam qui sequantur, relinquentem, Deus eum officio satisfacere vult ⁸⁾.

Quo oraculo accepto jam major fiducia ac spiritus ei accessit, jamque pluribus ⁹⁾ amicis novae doctrinae praeceptis instituere suscepit, sed tamen nondum consilium capere poterat, palam pronunciandi, se missum esse, ut eos, qui sibi crederent, ab aeternis suppliciis revocaret. Ita diu nullius consilii exitum inveniebat, quum subito, et amicis admonentibus, et animi impetu non amplius restincto, Quraishitas convo-

1) Sed Hara' a Mekka distat spatio trium آميال, quod non multo minus est miliarium, quod dicitur, Germanico (Noel des Vergers ad Ab. ann. 25, Spr. 94 ann. 4).

2) Sale (apud quem, ut apud Ibn Hisham, etiam alia narratio) Mar. Mishk. II, 678 sq. et 683. Spr. 110 ann. 2 etc.

3) S. ad Sur. 96; Zamaehshari apud Mar. Spr. I. c.

4) Ockley I, 299. Spr. I c. Weil. M. 48. Surarum tabula (Weil. M. 364) etc.

5) Spr. I. c. Idem putat Weil. K. 63.

6) Non dubie gravissima vox est أَنْدَرٌ v. 2.

7) دَتْرٌ significat sordidum oblitteratum esse اَدْتَرٌ est socors (Freyt. lex.). Coherere videtur cum verbis دَسْمٌ دَسْمٌ (sordidum, pinguem esse). Ceterum hanc notionem huic vocabulo subjectam esse, maxime confirmat v. 4.

8) Cetera oracula, quae in M. hoc tempore demissa esse dicunt, infra suis locis tractabimus.

9) ut Abū Bekr. 'Oīmān, Talha, Zubair etc.

cavit et ad Islámum (quo nomine jam nunc uti liceat, quanquam postea demum ab eo inventum esse videtur) amplectendum cohortatus est ¹⁾. Sed nemo ei audiens fuit; quin ²⁾Abd al ³⁾Uzzá, ejus patruus, cui cognomen erat Abú Lahab, conviciis eum fixit nec verecundatus est, lapide eum petere. Quam ob rem hominem, sibi et deo inimicissimum, dirá exsecratione devovit edenda Súra III simul cum conjugé Umm Gámil. Ceteri Quraishitae, quanquam pauci tantum eum sequebantur, tamen, dum ipse in dicendo cautus et consideratus erat, ei non graves injurias faciebant ²⁾. Huic tempori attribuo Súram 106, qua M. Iranquille adhortatur cives, ut deo Kábae gratias agant, quod quotannis bina mercatorum agmina cogant ³⁾. Revelata est igitur, quum unum ex his Mekka excedere pararet. A qua aetate non valde diversa est Sur. 108, qua deus eum consolatur de convicio, ei facto a quodam homine ⁴⁾, non quod ejus doctrinam falsam habuerit, sed quod indignum putavit, a viro, cauda h. e. filiis carente, doceri. Se enim ei dedisse honorum copiam ⁵⁾. Num forte e verbo وَأَحْرَ (v. 2), quod vulgo significat victimas caedere die decimo mensis ذِي الْحِجَّةِ, concludere licet, hanc Súram revelatam esse tempore peregrinationis? Ceterum manifestum est, eos errare, qui hanc Súram anno 10 Fugae post mortem Ibráhimi filii propbetæ editam ducunt ⁶⁾; nec minus falsa sunt, quae leguntur in Ab. Reiskiano ⁷⁾. — Súra 94 Deus eum monet, ne defatigetur in munere explendo, quum a se levatus sit tristitia et desperatione (qua affectus fuerit antequam omnibus, se prophetam

1) Anno 3 (Ab. 18) vel 4 (Spr. 177; qui numerus verus esse videtur) vel 5 (Weil. M. 53). Sed de re ipsa quae tradunt, valde differunt. Sunt enim, qui eum solam gentem suam (Abd'almuṭtalibidas) convocasse dicant (Ab.), et, qui eum omnes Quraishitas in montem Safa vel Abu Qubais vocasse narrent (varia et repugnantia in Mishk. II, 537 sq. Spr. 177). Weilius utrumque commemorat. Cfr. quo modo Ibn S'ad hanc rem narrat.

2) Weil. M. 54 et accuratius Spr. 177 ann.

3) Nam Hashim, M. abavus, instituerat, ut quaque aestate merces in Syriam et quaque hieme in Jamanam mitterentur. (S. ad Sur. 111, et prelim. disc. 4. C. de Percev. I, 256. Spr. 27).

4) Qui fuisse dicitur Afás ibn Vaíl. Sale. Ggn. II, 251.

5) الْمَوْجِدِ, quod apud Muslimos est etiam nomen fluvii coelestis. Sed hic primam significationem solam aptam esse, facile est intellectu. Quanquam Muslimi, cum ascensione in coelum hoc conjungentes, etiam illam significationem hic indicari putant (ut Spr. 134 etc.).

6) Ggn. II, 291. C. de Percev. III 267 etc.

7) I. p. 355.

esse, pronuntiarit¹⁾. — Non multum ab his aetate distare videntur Sur. 112, qua breviter dicit, qualem deum esse credat²⁾ et Sûrae 113 et 114, quibus, ut cantionibus, arcere studet mala, quae sint in rerum natura et in animis hominum et geniorum, quae quanta sint, hoc denuo tempore perspicere coeperat³⁾. Plurimi vero Muslimi eas Medinenses habent, revelatas, ut M. liberaretur morbo, quo affectus esset fascinatione Labidi Judaei⁴⁾; in qua re si quid veri est, eas, *antea* demissas, adhibuit tantum ad repellendum malum, quod arte magica effectum existimavit. Quare vero Sur. 112 a nonnullis Medinensis habeatur⁵⁾, non dispicio. — Sûrae 73 octo primi versus, quibus simile est exordium, atque Sur. 74, a nonnullis simul cum hac paulo post Sur. 96 revelati dicuntur⁶⁾. Non minus false alii, ei multo inferiorem esse aetatem, censent, quum in ejus origine explicanda ^Àÿshae mentionem faciant⁷⁾. Ceterum e verbo ^{مريم}⁸⁾, ut e toto Sûrae argumento, videmus, hoc oraculum noctu datum esse. Haec Sûra prima est, in qua invenitur vox ^{قرآن}.

Quraishitae, quum M. in dies fortiore animo simulacrorum cultum oppugnaret, illa imbecilla, ipsos ipsorumque majores stultos esse dicens, patientia fatigata, iracundia elati non modo virus acerbitatis suae in prophetam effundebant, sed etiam vim et manum ei inferebant et, nisi Hâshimidas timuissent, eum occidissent⁹⁾. Quo vehementius, neglectis omnibus, quae ante eum retinuerant, invebatur in idololatrias, praecipue in nonnullos. Sed quem quaque Sûra impugnet, dicere nequimus, quum

1) Ex falsa interpretatione primi versus orta est una ex absurdissimis fabulis, quae de M. circumferuntur. Cfr. Ibn Sa'd in Arnoldi chrestom. 176. Mishkat II, 684. Ab. 10. S. Ggn. 1, 88 sq. Weil. M. ann. 11. Spr. 78 etc.

2) Non mirandum, Muslimos eam plurimi facere, ut dicatur „summa Sûra“ (Mishk. I, 511) vel „par tertiae totius Q. parti“ (ibid. 503 et 508), quod quomodo nonnulli explicent, vide in ann. p. 503. Cfr. etiam Reinaud, monum. Musulmans. II, p. 9.

3) Itaque quoque die, antequam dormitum se conferret, eas simul eum Sur. 112 recitasse fertur. (Mishk. I, 504).

4) Hoc factum dicitur aut anno 1 (Wien. Jahrb. 69, 39. Weil. M. 94) aut 7 (Ggn. II, 43). Ceterum mecum consentit Weilius (K. 60 ann. 2).

5) Cfr. B.

6) Weil. M. 48.

7) B. S. et Mar.

8) Primitus videtur significare eum, qui sese oneravit itaque vestitus prorsus se cooperuit, involvit (cfr. Imrialqais Mu'allaqam. v. 77); cognatum mihi videtur esse cum ^{סבל} et fortasse etiam cum ^{זבן} (primitus: metalli certum quoddam *pondus* appendere) etc. Noctu hanc Sûram revelatam esse etiam plurimi Muslimi (apud S. et Mar.) dicunt.

9) Ab. 20. Weil. M. 54 sqq. Spr. 177 sqq.

explanatores ipsi hoc non diligenter cognorint, semper e compluribus optionem nobis facientes. Quanquam nonnullis, saepenumero nominandis, indicant, quos M. inprimis significet¹⁾. Hae Sûrae jam uberiores et majore artificio perfectae sunt, quam concisae, perbreves illae, quibus Abù Lababo et Afâso poenae praedicuntur.

Sûra 104 insectatur bominem divitem et superbum, Sur. 107 alium quendam, qui res sacras quidem (in Kâba) ficta pietate perpetrans²⁾, tamen inhumanum se praebeat in pauperes. — Surae 96 versibus 6 sqq., qui, quum prima verba cum v. 5 cohaereant, (nam neque كَلَّا in orationis exordio esse potest³⁾, et الانسان v. 6 conjungendum est cum الانسان v. 5, quanquam utriusque notio paulum diversa est, ita ut non simul has partes confectas esse, appareat) postea a M. ipso ad primos versus additi videntur esse, poenas daturum esse dicit quendam, qui servum suum impediât, quo minus deum colat. Nam vox عمد M. significare non potest, ut putat B. Servos autem omnino M. doctrinae studiosos fuisse, bene exponit Sprenger⁴⁾. Quin fieri potest, ut hic agatur de celebrato illo Bilâlo Aethiope, qui postquam ab Umaiija ibn Cbalaf ob pietatem suam atrocissimis cruciatibus affectus erat, ab Abù Bekro servitute redemptus est⁵⁾. Sûras 74 v. 8—40 bis Sûris aliquanto posteriores esse, videmus et e dicendi genere⁶⁾ et e majore oraculi longitudine. Hoc oraculo plurimi Muslimi consentiunt significare Valid ibn Mugira, qui propter divitias et potentiam dictus sit الوحييد, quo nomine M. adversarium suum appellat in v. 11, et رجحانة قريش; nec video, cur hoc dubitemus. Sed in hanc Sûram inserta sunt nonnulla, quae, quum arte cohaereant cum antecedentibus, a M. ipso in hunc locum relata censeo. Nam v. 31 — 34 (qui apud Mar. melius unum versum efficiunt, quum rhythmus finalis non sit nisi in ultimo verbo) ceteris non modo

1) Maxime Abù'l Hkam, 'Amr ibn Hishâm quem M. et Muslimi Abù Gahl vocant (Ab. 22. C. de Perc. 372 ann. 3); praeterea Valid ibn Mugira, Nadr ibn Harit, Afas ibn Vail etc. Acerrimi M. inimici enumerantur apud Spr. 176 ann. 2.

2) v. 4—6. Sunt, qui hanc Suram Medinae revelatam esse censeant (B.).

3) M. ubi orationem incipit a neganda sententia, non verbis expressa, sed cogitatione supplenda, non utitur voce كَلَّا, sed لا (75, 1. 90, 1. 56, 77 etc.)

4) p. 159. Sed hujus loci rationem non habet.

5) Weil. ann. 57. Nav. 176 sq. S. et Mar. ad Sur. 92.

6) Ut e jurejurando v. 35. Sed tamen eam perantiquam esse, cognoscimus quum ex aliis rebus, tum inde, quod v. 8 est نقر في المناور pro quibus verbis postea semper legitur: تفتح في الصور.

multo posteriores, sed ne Mekkani quidem sunt¹⁾. Nam quae dicit de quatuor hominum generibus: 1) de Judaeis (»qui acceperunt librum«), 2) de Muslimis (»qui credunt«), 3) de Simulatoribus (»in quorum animis morbus est«), 4) de idololatriis, Mekkae vix dicere poterat. Attamen primis temporibus, Medinae peractis, haec dicta videntur, quum Judaeos cum Muslimis jungat eamque spem in iis ponat, quam habere non poterat, postquam melius eos cognorat. Sed v. 41 sqq. videntur esse ex ultimis hujus aetatis. Cave autem, ne vocem rarissimam سَقَرٌ²⁾, quae legitur in v. 26, 27 et 43, signo esse putes, has partes cohaerere; quae quum in v. 43 rh. fin. concentui obstat, non dubito, quin (fortasse jam errore socii M., qui eas scribendo conjunxerat) illinc huc translata sit et quin scribendum sit الْجَحِيمِ.

Ad has Sûras addo Sur. 105, qua quidem inimicos non aperte impugnat, sed tectis verbis indicat, nisi desinant, se, in quo, ut in dei legato, aliquid sancti insit, injuriis afficere, fore, ut similia iis accidant, atque Abrahae, qui, Kâbae religionem violare non veritus, a deo cum toto exercitu per infirmas aves deletus sit³⁾.

Ceterarum Sûrarum, hac aetate promulgatarum, major pars constat ex iis, quibus describitur ingens terror, quo omnes res creatae et animantes, et inanimatae, afficiantur, simulatque, deum extremum judicium exerciturum esse, sentiant. Omnium partium Q. bae Sûrae' sunt maxime poeticae. Nam altius elatus oratione, numerose ac volubiliter fusa, res ita depingit, ut oculis subjectae videantur. In prioribus Sûris magis, quae agantur et fiant, exponit, ut omnia quasi vivant; in posterioribus magis statum et conditionem mortuorum, et piorum, et impiorum, depingit. Frequentissima in his Sûris sunt jura juranda, ex quibus, ut e multis aliis, liquet, M. hoc tempore mente ita inflammatum fuisse, ut saepe modum transiens paene in vesaniam incideret.

Una ex primis Sûris videtur esse Sur. 97, qua M. agit de praestantia noctis, quo Q. prima pars demissa⁴⁾ sit (unde apparere, quanti Q.

1) Quod jam Weilius intellexit (M. 365), qui tamen, versum Medinensem esse, contendere non audet.

2) Non invenitur nisi in hac Sûra et 54, 48.

3) Quum Aethiopes et atroci tempestate et lue (variolis, quae dicuntur) cohibiti essent, quo minus in sanctam urbem intrarent. (C. de Percey. I, 279. Spr. 35; Weil. M. 10) Mekkani hoc miraculo quodam factum esse dicebant. Cfr. B. Mar. Sale. De Saey excerpta ex Abulf. 491 sqq.

4) Illic primo invenitur verbum انزل.

ipse faciendus sit). — Sûra 80 a deo reprehenditur, quod diviti Qurai-shitae Islâmi veritatem persuadere studens, caecum quandam, qui summo studio ab eo doceri cupiverit, neglexerit. Quem caecum fuisse tradunt 'Abd allah ibn Umm Maktûm¹⁾. Fortasse versus 11 sqq. paulo post a M. ad priores additi sunt. — Sûra 102 a nonnullis falso Medinensis habetur²⁾. — Sûra 93, ut Sur. 94, qua tamen haec uberior est, deus M. benefactorum suorum commonefacit, affirmatque, se eum, etiamsi inops inimicorum injuriis obnoxius esse videatur, tamen minime destituisse vel odisse. Quae vero narrant³⁾, de tribus rebus, quas a Quraisitis interrogatus, se eas paulo post explicaturum esse, dixerit, ad quae quum non addidisset *أَن شَاءَ اللَّهُ*, eum 10 diebus oraculum non accepisse, hoc non pertinent⁴⁾. — Sûrae 92⁵⁾ jus jurandum formatum est ad exemplar Sur. 93 ita quidem, ut magis auctum et exornatum sit. V. 18 ad unum Abu Bekrum, qui Bilâlum redempserat, referendum esse, quae est sententia Gal.⁶⁾, non putaverim. — Sur. 91, cujus jus jurandum etiam magis exornatum est, prima est, qua M. antiquas narrationes de populis, ob impietatem deletis, in suam rem convertit. — Sur. 101. Sur. 99, quae pulcherrima est⁷⁾, cur a nonnullis Medinensis ducatur⁸⁾, non perspicio. — Similes, sed paulo magis ornatae et uberiores sunt Sûrae 82 et 81, cum qua jungimus Sur. 53, licet posterior sit, propterea quod in utraque agitur de Gabriele, a M. inspecto. De qua re primum hoc reputandum est, hic non, ut putant multi Muslimi⁹⁾, agi de ascensione in coelum, quae multo post evenit. Praeterea facile liquet, in Sur. 81 unius, in Sur. 53 duorum visorum mentionem fieri. Nam id, quod narrat primis versibus Sur. 53 idem est, quod commemoratur in Sur. 81; sed praeterea in Sur. 53 etiam de alia specie agitur¹⁰⁾. Quum hanc speciem videret, in coelo fuisse sibi visus est; nam Sprengerum, qui ideo, quod Muslimi disceptent, utrum hoc in coelo, an apud Mekkam factum

1) Ibn Hisham. Gal. apud S. B. Spr. 186, qui divitem illum fuisse dicit Valid ibn Mugira.

2) B.

3) Interpretes apud S.

4) Infra in hanc rem redibimus.

5) Quam M. legere solebat in precibus pomeridianis (Mishk. I, 172).

6) Mar. et S.

7) Quod intelligentes Muslimi eam dimidio Q. parem esse dicunt (Mishk. I, 508. cfr. B.).

8) B.

9) Weil. K. 59 B. Itaque Muslimi verba Sûrae 53 passim citant, ascensionem describentes. Sed non omnes Muslimi hoc putant.

10) Cfr. etiam Spr. 122.

sit, M. diversis temporibus hoc et illud docuisse¹⁾ et v. 15 postea addidisse²⁾ conjicit, sequendum non censeo. Cum nostra sententia congruit, id quod nonnulli credunt, M. complura itinera in coelum fecisse³⁾.

Ceterum dubium esse non potest, quin M. v. 5, se Gabrielem⁴⁾, non deum ipsum vidisse, narret, quanquam multi Muslimi hoc censent⁵⁾. Praeterea in Sūra 53 etiam alia res memoria digna est. Nam quum M. idololatrias interrogasset, unquamne vidissent Allāt⁶⁾, Manāt, Afuzza (v. 19 sq.) eum inscium vel diabolum, ejus vocem imitatum, clamasse narrent: »Hae sunt virgines altissimae, quarum deprecatio sane speratur!⁷⁾. Quae res a nonnullis Muslimis quidem non 'probat⁸⁾; sed quum non historicis, sed dogmaticis argumentis ducantur, nihil iis attribuendum est. Aliud argumentum, hoc firmitus, inde capi potest, quod, versui 51 Sur. 22, quem vulgo ad hanc rem referunt, multo inferiore aetate esse, quivis facile intelligit. Sed primitus his locis nihil commune fuit, sed solum quia verba et *تَمَى* et *أُمْنَبَة* falso hic legere significare censebant, hoc loco de illa re agi statuerunt. Sed aliis rebus, haec verba re vera a M. pronuntiata esse, demonstrare possumus. Nam et haec narratio prope semper conjungitur cum rebus certis, maxime cum reditu Muslimorum ex Aethiopia⁹⁾ et versus ipsi ceteris rhythmo

1) p. 123.

2) p. 133 ann.

3) ibid.

4) Ut narrant Ggn. ad Abulf. 15 sq. Spr. 122. Hottinger 403. Sunt qui *شديد القوى* exprimere dicant significationem nominis *גבראאל* (Spr. 121 ann. 2).

5) B. maxime ob vocem *عبد*, quam impiam fore censent, si Gabriel indicaretur (Spr. 122). Alii v. 18 de deo, a M. conspecto, agi volunt (ibid.). Sed cfr. quae diximus p. 15 sq.

6) *الالافَة*. ex quo factum est *الالافَة* (*Alilafat* Herod. 3, 8), denique *اللاة* (vel *اللات*), plane ut ex *الالافَة* contractum est *اللة*.

7) Ibn Sa'd. Mar. S. B. ad 22, 51. Ggn. I, 121. Weil. M. ann. 64. Spr. 184. Verba Arabica apud B. sunt haec: *عَنْ الْعَرَانِيْقِ الْعَلِيِّ وَابْنِ شِفَاعَتِهِنَّ لَنْرَجِي*. Apud Jahja (Mar.) verba paulum diversa: *فَانْ شِفَاعَتِهِنَّ هِيَ الْمَرْجِي وَاتَّهَا مَعَ الْعَرَانِيْقِ الْعَلِيِّ*. Prior verborum forma melior est. Eadem exstat apud Vaqidum; Tabari habet *تَرْتَضِي* (Calcutta review. June 1855 p. 264 sq.). Ibn Sa'd habet *تلك*. De verbo *عَرَانِيْقِ* cfr. Hamasa p. 607.

8) B. l. c. Weil. l. c. Calc. rev. l. c.

9) Ggn. l. c. Weil. l. c. Spr. 183.

fin. et longitudine plane pares sunt. Itaque nos quidem hanc rem, quae per se bene explicari potest¹⁾, veram habemus. Postea autem in horum versuum, quos respiciens e Sūra ejecit, Satanaeque verba perhibuit²⁾, loco reposuit v. 21 sq. et 24—27, quibus, quae crederent Quraisbitae de deabus suis, falsa et ridicula esse probaret³⁾. Sed versus 23 et 28—33 multo posteriores esse, e verborum et sententiarum ratione apparet, quo accedit longitudo versuum. Quum vero rhythmum fin. et sententiarum ordine cum ceteris cohaereant, a M. ipso aetate secunda ad eos additi sint necesse est. Sed v. 34 sqq., praeter 5⁴⁾ ultimos versus quibus separata Sūra efficitur, ceteris versibus aequales videntur esse — Sūra 84 exordio similis est Sūris 82 et 81. Sūra 86 a M., cujus animus grandibus et pulchris rebus naturalibus magnopere movebatur, confecta est, quum videret stellam, cujus ardore mirum in modum delectatus est (v. 1 — 3), Sur. 100 autem, conspecto grege equorum (vel camelorum) ferocitate exsultantium. Falso Muslimi quidam eam Medinensem habent quum primis versibus significari dicant camelos, quibus M. socii in proelio, apud Bedr commisso, usi sint⁵⁾. — Sur. 79 e tribus partibus composita est: v. 1—14; 15—26; 27 sqq., qui fortasse ceteris paulo posteriores sunt. — Sūrae 68 4 primi versus a multis paulo post Sur. 96 revelati dicuntur⁶⁾. Sed in hac re errant, primum vocabulum انقمم referentes ad ea, de quibus primis versibus illius Sūrae agitur. Neque vero v. 5 a v. 4 avelli potest, quum et sententiae inter se connexae et aptae sint, et dicendi genus utriusque partis idem sit; nec v. 15 sq. tam antiqui esse possunt, quibus invehatur in inimicum, ejus doctrinam fabulosam esse dicentem. Sed v. 17 sqq. secunda demum aetate editi sunt⁷⁾. — Sur. 90. — Sur. 77. — Sūrae 78 versus 17 refertur ad v. 73 sq. Sur. 77, itaque posterior est; v. 37 sqq. aetate secunda ad ceteros additi videntur esse — Sur. 87. — In Sur. 88 prima legimus, pios in coelis uti variis pulvinarium generibus, de qua re nondum exposuit in Sur. 77 (v. 41—43) et 78 (v. 31 sqq.) — Sur. 75 v. 16—19

1) Cfr. Weil. et Spr. 183.

2) Quod sine dubio ipse credebat.

3) Animum attente ad شعاعتهن v. 26, quod opponitur شعاعتهن in versu ejecto.

4) Proprie 6, quum post آفة (v. 58) distinctio ponenda sit.

5) Jalja apud S. B. fieri posse dicit, ut hi versus ἀλλήγορικῶς de animis hominum dicti sint.

6) Weil. 48. Spr. 107 ann. 1. S. (ad Sur. 96), iis, qui Sur. I primo loco demissam habeant, hanc Suram secundam videri, commemorat.

7) Cfr. longos versus, nomen انقمم, prima aetate Deo non attributum etc.

non cum ceteris cohaerent; sed quum nusquam cum aliis verbis cohaerere possint, *παρενθέτως* loco positi esse videntur, praesertim quum etiam rhythm. fin. ei, qui est in primis verbis, simillimus sit ¹⁾. — Sur. 89 prima luce (v. 1) et, nisi fallor, sacrae peregrinationis tempore revelata est, quum e variis modis, quibus interpretes ²⁾ verba »per decem noctes« explicare student, nullus probari possit, nisi is, ex quo 10 noctes (vel dies) *Dū'lhiggāe* mensis significantur ³⁾. A nonnullis haec Sūra, nescio cur, Medinensis esse traditur. — Sur. 95. — Sur. 103. — Sur. 83 ⁴⁾. — Sūra 85, cujus versus jam longiores fiunt ⁵⁾, Muslimos hortatur, ut vexationes et insectationes consolentur exemplo eorum, qui ante se ab hominibus execrandis ⁶⁾ cruciati et necati sint ⁷⁾. — Sur. 69. — Sur. 51, 1—23. — Sūrae 52, qua Paradisum jam uberius describit, v. 21, quem M. Chadigāe legisse fertur, quum ex eo, postquam liberorum suorum, a marito priore genitorum, sortem interroganti, responderat, eos in Gehenna esse, iterum quaesivisset, quaenam esset conditio filii ipsius, ante Missionem mortui ⁸⁾, aequae ac v. 29 sqq. secundae aetatis attribuo; nam oraculis aetatis primae omnino dissimiles sunt; cujus rei pauca tantum signa afferam, et verba *سُبْحَانَ اللَّهِ عَنِ شِرْكٍ* (de falsis deis), et exitum, qualis efficitur v. 48 et 49, ullo loco aetatis primae inveniri, negans, quum postea 'haec omnia frequentissima siunt. In Sūra 56 omnium prima invenitur *جَنَّاتٍ أَعْمَمٍ* (v. 12) et *جَنَّةٍ نَعِيمٍ* (v. 88), quum

1) Nam pro *amah* dici posse etiam *anah*, et e legibus, supra explicatis, et e v. 4 videmus.

2) B.; Mar. et S.

3) De quibus cfr. etiam B. ad 2, 193.

4) In v. 35 haud dubie ante *ما* vox *آ* inserenda est.

5) Nonnulli versus aetate secunda additi videntur esse.

6) *كُفْرًا*, nihil est aliud, quam *نَعْيًا*, majore vi prolatum. De hominibus M. aetate viventibus, quos interfectum iri cupiat, dictum esse non potest.

7) Vulgo hi fuisse dicuntur Christiani Nagranenses, a *Dū* Navas rege Judaeo necati (Mar. S. Excerpta ex Abulf. 427. Pococke specim. 63. Ludolf. hist. Aeth. Lib. II, cap. 4. C. de Percev. 1, 108. Noel des Vergers ad Abulf. ann. 155. Spr. 36 sq. Cfr. Michaelis chrestom. Syriac. 22 sq. Knos chrest. Syr. 37 sqq. Sed Geiger (p. 192) mihi rectius hanc rem ad 3 viros (Dan. 3) a Chaldaeis in ignem injectos referre videtur. Quamquam argumentum, quod affert, Christianos a M. »Credentes« dici potuisse, negans, probandum non est. Ceterum apud B. etiam duae aliae res commemorantur de quibus M. hic agat.

8) Mishk. I. 35.

in Sur. 52 sit جَنَاتٍ نَعِيمٍ (v. 17)¹⁾. Ceterum caveas, ne versu 74 novam partem, a priore separandam, incipere putes; nam, quamvis hic ut alibi²⁾ inter duas partes intervallum quoddam fuerit, tamen sine dubio a M. conjunctae sunt, ut apparet jam inde, quod ambobus idem finis est, et quod v. 87 sqq. referuntur ad ea, quae in eadem Sûra exposita sunt. — Sur. 70 edita esse videtur, quod Quraishita M. legentem primos versus Sûrae 56, qui hic paene ad verbum repetuntur, irridens rogavit, quaenam his verbis sententia subjecta esset. Haec Sûra prima est, qua hominis pii officia uberius exponantur. V. 5 Weilius³⁾ fortasse postea additum esse censet, sed hujus sententiae non video causam. — Hac fere aetate M. ad primos versus Sur. 73 addidisse videtur v. 9—19, orationem ducens ab uberiore explicatione vocis رَبِّكَ, quae est in v. 8. Sed v. 20. Medinae promulgatum esse, quum ex iis sit, quae in tota hac quaestione facillime inveniuntur, jam nonnulli Muslimi docuerunt⁴⁾, qui huscum consentit Weilius⁵⁾. Versus primis quidem annis post Fugam, sed tamen, postquam cum hostibus bellum geri coeptum est, revelatus et quum de eadem re dictus sit, atque primi versus, aut a M., aut a Muslimo quodam ad ceteros additus est. Itaque sola negligentia eorum, qui id, quod de uno versu acceperant, totam Sûram spectare putarent, factum est, ut nonnunquam haec Sûra Medinensis dicatur⁶⁾.

2. Sûrae aetatis secundae.

Hoc spatium Weilius⁷⁾ quidem absolvi censet eo tempore, quo M. urbem Taif petiit; sed quum Sur. 72, quam hinc rediens confecit, non modo huic aetati attribuenda, sed etiam nonnullis, quas Weilius quoque ea revelatas esse putat, prior esse videatur, aetatis secundae finem aliquanto posteriorem esse censeo.

Jam supra diximus, Sûris hujus aetatis non esse peculiarem formam, sed alias primo, alias tertio generi similes esse. Nam his Sûris M. e summa dicendi majestate, quae in ultimis primae aetatis paulum tantum

1) Praeterea videmus, verba حور عِينٍ hic, ut nota, poni, in Spr. 52 explicata esse addito vocabulo زَوْجِنَاهُمْ (v. 20).

2) 69, 38; 70, 40; 84, 16.

3) K. 61.

4) Cfr. Mar. et S.

5) M. ann. 573.

6) Cfr. Mar.

7) K. 62.

minuta erat, transit ad id dicendi genus, quo postea utitur. Hic primuū quaerenduū est, qui factum sit, ut non semper illud orationis genus servaret. Hujus rei Weilius ¹⁾ gravem causam eam esse putat, quod M., ne a Mekkanis poeta, insanus, vates haberetur, similiter, atque bi, loqui desierit; sed quum hoc non subito, id quod fecisset, si consulto hoc instituisset, sed sensim ac lente fiat, et quum M. etiam in posterioribus Suris Mekkaeis, se ab impiis hominibus bis nominibus appellari, dicat ²⁾, huic rei non multum attribuendum est. Sed ceterae causae, quas Weilius affert, improbari non possunt. M. enim, quum de iisdem rebus semper loqueretur cum hominibus, eadem pertinacia ei non audientibus, fieri vix poterat, quin tandem, omni dicendi materia effusa, eadem iisdem verbis redderet, sed minore cum vi et gravitate. Haec tamen causa gravissima non est, quum hoc vitium, etiamsi difficile erat evitatu, tamen declinari posset. Maxime autem hoc factum est, quia M. ipsi, prima *γανταότας* vi, ut fieret necesse erat, seusim senescente, non diu primus animi ardor atque altitudo manebat, cui semper manendum erat. Attamen pervicacia ductus modum semel institutum relinquere nolens, solam *formam*, quam dicimus, servabat, ita ut deum etiam ibi loquentem faceret, ubi verba ipsius esse sciret. Itaque dedita opera oracula componere suscepit, quae illis, quae orta erant e vi divini spiritus, paria esse non poterant. Sed tamen M., ex quo temporis momento verum rerum statum perspexisset, consulto mentitum, oracula finxisse, non est, quod credamus, quum sensim hoc factum sit, nec unquam semet ipse plane cognoverit, nec desiverit, saepe etiam postea altiore vi agitari. Nec eum vituperare licet, quod imaginationis, quae vocatur, calor non semper idem manebat. Nam hic ad novam doctrinam *instituendam* quidem ei magnae utilitati erat; sed prima aetate peracta, ut magis *excolerentur* ratione opus erat, manente tamen vero animi ardore et vigore. Sed nec hoc satis factum est, nec M. iis mentis viribus praeditus erat, ut, quae dicebat dominante intelligentia, paria essent iis, quae, imaginatione maxime comota, divino spiritu tactus effatus erat. Nam Sûrae, quibus, magis oratoris partes agens, argumentis, sumptis et e rerum natura et ex historia, quae doceat, vera esse, adversariis persuadere studet, saepe jejunae, nimis verbosae, conclusionibus contortis vel falsis refertae sunt multoque etiam humiliores essent, nisi saepe, quum in aliis, tum in narrationibus poetici spiritus, qui primitus erat M., quasi scintillae elucerent. Quod eo rarius fit, quo posteriore tempore Sûra promulgata est. Primae enim

1) M. 387; K. 55.

2) 23, 72; 34, 18, 45; 7, 183.

Surae aetatis secundae poeticae sunt, ita quidem, ut ea, quae primis oraculis breviter significantur, his uberrime depingat. Itaque quum illa orationis contentio et brevitatis paulatim minuatur, et versus et Surae magis magisque extenduntur. Dicendi autem genus quum prorsus aliud fiat, multa quidem verba et *φράσεις*, quibus priore aetate usus erat, consuetudine retinet et saepissime repetit, sed multa, quae solis Suris poeticis conveniunt, omittuntur. Ita exempli causa dico, eum juribus jurandis, quibus animum gravissime incitatum exprimit, aetate secunda raro uti, nec, excepta Sur. 37, quae est una ex antiquissimis hujus aetatis, alias formas juris jurandi ponere, quam breves has: per Q., per librum etc.¹⁾.

In quorum locum substituere coepit verba, bis Suris, quas altioris numinis verbis effici, per se non ita facile intelligimus, aptissima, quibus a deo revelatae esse perspicue dicuntur²⁾. Simili modo dei verba pronuntiare saepe jubetur verbo, *قُلْ*, quod in antiquissimis, divinam originem prae se ferentibus, paene nusquam legitur. Sententias, quas prima aetate paucissimas tantum in medium posuerat, augere, uberiore oratione explicare et, argumentis allatis, iis probare studet, qui, nisi mox pertinacia absterneant, gravissimas poenas daturi sint. Dei enim saepissime, multis verbis id persequens, dicit plurima signa (*آيات*) esse in universa rerum natura et in libris divinis. Sed maxime hoc probat narrationibus, quae, quanquam jam prima aetate rerum antea gestarum mentionem facit, tamen, quum hoc raro et quasi praetereundo fiat, et quum oratione obscura ac perplexa res breviter significet³⁾, non exponat, secunda demum aetate magni momenti sunt. His narrationibus maxime utitur, ut ea, quae, aut crebram repetitionem vitaturus, aut adversarios nimis iratos reddere veritus, aperte dicere nolebat, antiquorum prophetarum, quos sibi simillimos facit, ita ut plurima, quae de iis dicuntur, ad ipsum transferri possint, modo nonnulla nomina aliasque res leves et minutas ab illis separet, sermonibus tribuat. Harum narrationum duplex est origo, quum aut vere Arabica, vel e rebus, re vera factis⁴⁾, vel e fabulis mythologicis⁵⁾, ut

1) Aetate tertia ne haec quidem jura juranda inveniuntur.

2) Ut: „Hoc est oraculum divinum“ etc.

3) Ut 85, 4 sqq.; 91, 11 sqq. etc.

4) Ut quae dicit de notissimo *سبيل العرم*, quod Sabaeis sive populo Tubba'i (ab Aethiopico tab'a, fortem, robustum esse, cfr. Ludolf. lex.) accidit. Sur. 34, 14; 44, 36; 50, 13; quo referenda sunt etiam, quae narrat de 'Adensibus et Tamuditis deletis (de quibus docte et sagaciter disputat Spr. 14). Ea vero, quae de iis tradunt Muslimi, perquam confusa et fabulosa sunt.

5) Ut quae dicit de Luqmano (quod nomen cognatum esse videtur cum verbo

hoc verbo utar, orta, aut Rabbinica vel Christiana sint. Secunda aetate maxime Mosem diligere videtur, cujus vitam saepius accurate describat.

Ceterum plurima, quibus hac aetate utitur, etiam postea retinet. Nam quum, priore dicendi genere relicto, ad novum transeat, facile fit, ut, quae nunc ponere suscipit, etiam postea servet. Itaque non multa verba siugula vel conjuncta huic aetati peculiaria sunt. Ex quibus memoria dignissimum est, eum deum hoc tempore saepe appellare nomine

الله الرحمن, ita ut in nonnullis Suris الله paene non legatur. Quo nomine nunquam¹⁾ utitur in Suris aetatis primae; in Suris aetatis tertiae substantivi loco bis vel ter, in Medinensibus omnino non ponitur. Videtur enim timuisse, ne, duobus nominibus utens, duos deos adorare videretur²⁾, qua re postea deum eo notare desivit.

Primo loco agimus de Sur. I, quae ob sententiarum veritatem et simplicitatem siue dubio plurimis praeferenda est, et quae igitur a Muslimis plurimi aestimatur³⁾. Facile prima aetate M. inspirata videri potest. Sed et toto dicendi genere, gravi quidem, sed simplici et tranquillo, et singulis dicendi formulis, quarum complures nullo loco primae aetatis, sed multis locis secundae inveniuntur, ab hac opinione arcemur. Nam nec verba versus primi⁴⁾, nec secundi⁵⁾, nec quinti⁶⁾, leguntur in ulla Sura primae aetatis. Itaque falsum est, id quod tradunt nonnulli, et loco, quem obtinet in hoc Q., et ejus praestantia in errorem inducti, eam primam⁷⁾ aut unam e primis esse⁸⁾, quae revelatae sint. Sed si non

عفن, celeritate ingenii pollere, Freyt. lex.), qui certe exemplar summae sapientiae habebatur. de quo quum varia et pugnancia circumferrentur, Muslimi, Eubemeri more fabulas interpretati, complures Luqmanos fuisse statuerunt (cfr. S. et Mar. ad Sur. 31. Rühle v. Lilienstern 199 sq.; C. de Percev. I, 16. Pocock. specim. I, 16. Excerpta ex Abulf. 422; 425); et de Saliho, qui, nisi omnia me fallunt, primitus deus habebatur.

1) Nisi 78, 37 prima aetate editus est; quod mihi quidem minime verisimile est. Cfr. p. 43.

2) Cfr. Sur. 17, 110 (et B. ad hunc locum): Sur. 25, 61; Ibn Hisham et C. de Percev. I, 379.

3) Dicitur maxima et sanctissima omnium Surarum et mater Q. (Sunna 496). De praestantia ejus cfr. Mishk. I, 502. B. (in extrema explicatione) Reinaud monum. Musulm. II, 29.

4) Quae jam repetuntur 37, 182. Etiam singulare الله non est in Suris primis.

5) Quibus rursus utitur 37, 118.

6) Quibus rursus utitur 37, 118.

7) S. ad Sur. 96.

8) Weil. M. 49. Weilius in K. 62, plane eandem sententiam se habere, ostendit, quam nos.

omnium Sûrarum secundae aetatis prima est, certe est ex primis. M. eam edidit, qua uterentur Muslimi in precibus ¹⁾. Propterea unica Sûra est, qua non deus, sed homo loquens inducitur. Itaque toti Q. opponitur in versu, ipsa non multo posteriore, ex quo apparet, quanti M. ipse eam fecerit (15, 87). Nam سبع من أمثالي (septem ex repetitionibus, septem versus, saepissime repetendi) hanc Sûram esse, mihi quidem certum est, quanquam sunt, qui haec verba aliis modis explicent ²⁾. Quem numerum vix fortuitum esse, facile liquet. Sed quum verbum عليهم (v. 6) versus finem non esse, jam e rhythmo fin. appareat ³⁾, facere non possumus, quin verba superscripta بسم الله الرحمن الرحيم in versuum numero habeamus. Quae verba, quorum similia jam antiquitus usitata erant ⁴⁾, ante in Q. non fuisse, verisimile est jam ideo, quod nec انرحمهم, nec انرحمهم in Sûris primae aetatis usitatum esse vidimus. Postea igitur haec formula M. et Muslimis ita placebat, ut eam omnibus, quae litteris mandarent, inscriberent ⁵⁾. Ceterum singularis opinio eorum, qui hanc Sûram et Mekkæ et Medinae revelatam ducunt ⁶⁾, orta est e falsa interpretatione

1) Itaque Muslimis haec Sûra idem est, quod apud nos precum formula, quae dicitur Paternoster. Nulla precatio, in qua haec Sûra non pronuntietur. rata habetur. Mishk. 1, 170 sq.

2) Esse dicuntur 7 longae Surae (de quibus ipsis 3 sunt sententiae); vel 7 Sûrae, quibus praescriptum est حم الحاميم (Sur. 40—46); vel 7 Q. partes (الاسماء), de quibus cfr. not. et extr. 9, 91), ut sit totus Q. (B.) Cfr. etiam Geiger. 59, Weil. M. annot. 556. De voce أمثالي etiam B. ad Sûrae I inscriptionem et ad 15, 87. Mar. ad 39, 23. Freyt. lex.

3) Neque sententiarum hic mora est, quum non interpretandum sit, ut fere fit: „duc nos viam eorum, quibus bene fecisti; (sed) non (viam) eorum, quibus succensetur nec (viam) errantium!“ Quorum priores Christiani, posteriores Judaei habentur (Gal. apud S. et B.). Quod si dicere voluisset, dixisset غيب صراط الحق. Sed interpretis: „duc nos viam eorum, quibus benefecisti, quibus non succensetur (a te) et qui non errant.“ (Quae sententia etiam commemoratur a B. cfr. etiam Zamachsharium apud S.).

4) بسمك اللبى; de cuius formulae origine cfr. Spr. 39.

5) Haec formula etiam a multis Muslimis Surae pars habetur, ita ut eam aut primum versum esse censeant, aut eam cum الحمد الخ conjungant, post عليهم distinctionem ponentes (cfr. B. et codic. manuscript., cuius specimen dedit De Sacy. Not. et extr. 9, 99). Hic maxime reputandum est, Muslimos plerosque rh. fin. non habere rationem. Sed omnes 7 versus distinguunt. (B.) — Magna cum voluptate video nunc. id quod antea praetermiseram. Mar. rh. lin. causa versus plane eodem modo, atque me. disponere.

6) B., cui haec opinio admodum placere videtur. Weil. l. c. et 371.

verbi متناه. — Cum hac Sûra jungimus Sur. 109, quam promulgavit, quum idololatrae ei quodammodo morem gerere vellent, si ipse aliquamdiu deos Mekkanos adoraret¹⁾. Sur. 55, cujus Muslimi aut omnes versus aut versum 39 sine causa Medinenses ducunt²⁾, brevibus versibus et vigente oratione primae aetatis Sûris similis est; sed nimia dicendi copia, qua res describuntur, et e jejuno rh. fin. et versus intercalaris ludo, eam secundae aetati attribuendam esse, intelligimus, quantum est una ex antiquissimis barum Sûrarum. — Ex Sûrae 54 versu 1, ut e Sur. 94, 1, falso interpretati, absurdam fabulam duxerunt³⁾, quam magis confirmare student, pro وقد أنشئ وأنشئ legentes⁴⁾. Neque vero omnes Muslimi hunc versum ita interpretantur; sed multi recte, eo de die novissimo agi, censent. Sed errare videtur Weilius, qui ob concisum et obscurum dicendi genus versum ex alio loco huc translatum putat⁵⁾. Nam ita Sûram incipere posse, videmus e Sur. 21⁶⁾. Versus 1 autem jungendus est cum v. 2, quanquam post eum oratio praeciditur⁷⁾, neque de veteribus populis, sed de Quraisiitis agitur. Etiam rh. fin. signo est, omnia cobaerere. Haec Sûra prima est, qua complurium propbetarum vita describitur. — Sur. 37, quae est jam longior, versu 148 absolvi videtur, sed quum et dicendi genus idem sit⁸⁾, et quum v. 169 et 181 ad priorem partem referendi sint, hoc rectum esse non potest. Ambae igitur partes fortasse non uno tempore confectae sunt, sed posterior, brevissimo tempore post priorem revelata, a M. cum illa

1) Cfr. Ibn Hisham. B. Weil. K. 60. Haec Sûra, qua, nihil sibi cum idololatrâ commune esse, dicit, quartae Q. parti par habetur (Mish. I, 508 cfr. B.). Ceterum commemorandum est, vocem دين hic primo „religionem“ significare, quum antea semper „judicium“ (extremum) sit.

2) Cfr. Mar. et B., qui dicit, hanc Sûram aut esse Mekkanam aut Medinensem aut e diversis partibus compositam (متبعضة).

3) Ggn. I, 135 sq. et praecipue 176 sq. Ex hac longa narratione, ex solis fabulis constante, intelligamus, quam parva fides Muslimis habenda sit de rebus, quas se a propheta accepisse contendunt. Ceterum ab antiquioribus historicis haec res non narratur.

4) B.

5) K. 62 ann. 2.

6) Cfr. etiam Sur. 16, 1.

7) Sententiarum ordo hic est: „Etiam si ultimum iudicium baud procul abest, etiam si vident signum, tamen non credunt etc. De iudicio extremo agitur etiam v. 4 sqq.

8) Animum attende ad قَاتَمْتِ (v. 149 et 11 sed nullo alio loco): أَلَّا عِبَادَ اللَّهِ

المُخْلِصِينَ (v. 160 et 169 et in priore parte saepissime) etc.

conjuncta est. Sed v. 164 sqq., quibus sine dubio angeli loquentes introducuntur¹⁾, cum ceteris non bene cohaerent, crederemque, ante eos versum fuisse²⁾, qui nunc perisset, nisi alibi (19, 65) idem fieret. Itaque aliquid cogitando supplere debemus. — Sur. 71 M. Noachi orat ionede Qu-raishitarum idololatria disserit. — Sur. 76 a nonnullis Medinensis esse traditur, credo, quia de versus 7 origine narratur fabula, in qua Fâtima cum filiis Hasan et Husain commemoratur, et quae, quum hic anno 4 natus sit, non ante facta esse potest³⁾. — Sur. 44 v. 14 a nonnullis Medinensis habetur, quia voce العذاب significari putant famem diutinam, qua afflicti sint Mekكاني, M. Medinae degente⁴⁾. Sur. 50 Sûrae 51 versus 24 sqq. compositi sunt e duabus partibus, sed cohaerentibus. — In Sur. 68 v. 17 sqq., ante quos nonnulla omissa esse videntur quidem, sed vix sunt, quum ﷻ sint homines, M. animo obversantes, invenitur مسلمون, quo nomine antea non usus est; significat autem omnes homines pios, oppositum verbo تحريمون — Sûrae 20 partis prioris, quae paene tota efficitur vita Mosis, ultimi versus sunt v. 112 sqq. similes v. 17 sqq. Sûrae 75 sed magis cum ceteris cohaerentes); quibus tamen, revelationem nondum absolutam esse, significantibus, transitur ad partem alteram, ita ut omnia cohaereant. Hujus Sûrae primis 14 vel 16 versibus legendis ‘Omar, Islamum verum esse, intellexisse dicitur⁵⁾. Sed aut ‘Omar posteriore tempore, quam vulgo narrant⁶⁾, Muslimus factus est, aut hanc Sûram cum alia confuderunt, quum vix tam antiqua esse possit. Nam non multum talibus narrationibus tribuendum esse, inde sequitur, quod alii, M. eo ipso tempore Sur. 61 legisse⁷⁾, et alii, ‘Omarem Sûra 57 ad Islâmum amplectendum commotum esse⁸⁾, narrant, quanquam hae Sûrae sunt Medinenses. Ceterum Baidâvii sententia, qui, eam⁹⁾ unam

1) Errant, qui sociorum M. verba hinc afferri putant (cfr. B.); similis sententia nonnullis est de 19, 65 (B.).

2) Ut وإن الملائكة ليقرعون;

3) B. .

4) B. ad v. 9, quem tamen Medinensem non habent.

5) Ab 22 sqq. Spr. 188. Weil. 60. Mém. 420 etc.

6) Anno 6. Missionis exeunte. (Ibn Sa’d. Calcutta review. June 1855. p. 275). Maxime memoria dignum est, exstare narrationem apud Ibn Hisham, ipsi ‘Omari attributam, qua tota res prorsus alio modo gesta refertur, nec ulla hujus Sûrae mentio fit.

7) Weil. M. ann. 69.

8) Weil. K. 73.

9) Ad versum 8.

ex primis esse dicit, quae demissae sint, inde orta videtur, quod 'Omareum, quem unum ex primis Muslimis habebant, hac Sūra revelata, Islānum accepisse, audiverant¹⁾. — Sur. 26 prima est, cujus inscriptione, quae ipsa sit, indicatur. Hujus Sūrae aut solus v. 214 aut v. 214—223 a Muslimis ii dicuntur esse, quibus primis M. jussus sit, ceteros ad Islānum amplectendum, adhortari²⁾. Weilius autem, sine dubio, v. 221 sq. ad v. 210 referendos neque cum his conjungendos esse, intelligens, hos versus esse putat 213—219³⁾. Sed ne hoc quidem verum esse potest. Nam totum dicendi genus huic sententiae contrarium est, quum sit uberius et minus vigen, quam Sur. 74 aliarumque illius temporis⁴⁾; nec res ipsae eam adjuvant. Nam v. 215 indicat, Muslimorum numerum eo tempore jam satis magnum fuisse; aequae ac v. 219, quum الساجدون soli Muslimi esse possint. Itaque sotius versus 214, ex quo haec opinio orta est, aliam explanationem quaerere debemus. Quod non est difficile, quum hic loqui videatur de Hāsbimidis, qui, quum cognatum defenderent, tamen antiqua sacra servabant, ut de 'Abbāse, de 'Alii fratribus, maxime de Abū Tālibo, quos igitur et a credentibus (v. 215) et ab adversariis (v. 216) discernit. Hos enim, quos maxime amabat, quam gravissime adhortari, ut veram religionem amplecterentur, eum saepius constituisse et quasi a deo juberi sibi visum esse, non est, quod mireris. Quae quum ita sint, necessarium non est, v. 213—220, quorum dicendi genus ceteris simillimum est, alia aetate revelatos ducere. Sed quum v. 221 arte cum v. 210—212 conjunctus sit, hoc loco primitus fuisse non possunt. V. 224 sqq. a nonnullis Medinenses habentur⁵⁾, quum iis agi censeant de poetis, qui Medinae M. socii erant⁶⁾; sed de tanta re, quanta erat Islāmus, certe jam Mekkae e more Arabum a poetis in utramque

1) Sed B. in tota interpretatione Omaris mentionem non facit; nec ullus interpretum, quibus usi sunt Mar. et S. — Memoria dignum est, in omnibus nostris editionibus versus plerumque longiores esse, quam complures versus jungantur.

2) Ibn Sa'd, Ibn Hisham. Ab. 18. S. (ad hunc locum et ad Sur. 111) Weil. M. p. 52. Mishkal. II, 537. Sed Spr. hoc non commemorat.

3) K. 56. ubi errore typographico pro 212—218 (Mar.) legitur 112—118.

4) Attende etiam singula verba, ut انعزير الرحيم (quae praeter hanc Suram, in qua frequentissima sunt, tribus tantum locis aetatis secundae et tertiae junguntur). السميع et لعليم (in v. 220, qui necessario cum illis versibus jungendus est), quae nullo loco aetatis primae exstant. Omnino talia attributa primae aetati non conveniunt.

5) S. B. et edit. Petrop.

6) B.

partem certabatur. Quo accedit, quod hi versus cum ceteris, quibus eos describit, quos Satanae inspirent, conjuncti sunt. — Etiam in Sur. 15 versus insunt, qui nonnullis, e mea quidem sententia, falso perantiqui videntur. Nam v. 94 sqq. fere eodem tempore, quo 74, 1 sqq. et 26, 214 sqq., revelatos esse censent¹⁾. Quae sententia ex uno verbo قَصْدِيَّ orta esse videtur. Sed nonne M. saepius sine timore pronuntiare jubetur, quae a deo acceperit? nonne etiam ultimis verbis versus 85 ab idololatriis recedere jubetur? Quid, quod v. 95 sqq. negare vix possumus agi de adversariis, quos jam expertus sit, quorum cavillationem jam acceperit, non de iis, quos sibi adversarios fore, exspectet! Huc accedit, quod et totum dicendi genus et singula verba secundae, non primae aetati conveniunt²⁾. Quapropter, quum bene conjungi possint cum ceteris, non video, quid nos impediât, quo minus eos cum illis cohaerere putemus. — Sur. 19, cujus v. 59³⁾ sine causa a B. Medinensis esse traditur, a pristina forma paulum mutata est. Nam 7 versus, qui sunt post v. 37, quum iis et aliud argumentum sit⁴⁾, quam ceteris, et quum dicendi genere paulo languidiore et rhythmo lin. a ceteris diversi sint, non primitus hic fuisse possunt, sed aut primis temporibus aetatis tertiae, aut ultimis secundae in hunc locum a M. inserti sunt, quibus ea, quae Christiani docerent de Jesu, cujus vitam descripserat, refellerentur. V. 76 sqq., quanquam rh. fin. non plane idem manet, tamen, quum versibus 76 et 77 aperle respondeatur ad v. 74, cum priore parte cohaerent, sed v. 75, quo sententiarum ordo turbatur, ante v. 74 ponendus est, quo facto ordo primus restituitur. De v. 80 sqq. verisimilia sunt, quae profert B., Afàs ibn Vâil significari dicens, qui Chabbâbo Muslîmo debitum solvere voluerit aut, si ab Islâmo deficeret, aut in vita, post mortem agenda. Ceterum haec Sûra prima est, in qua commemorantur Johannes et Jesus, cujus tamen nomen non est, nisi in versibus insertis. — Sûrae 38⁵⁾ versus 28 novae partis initium videtur esse, quum ita permultarum Sûrarum exordium sit. Sed quum verba, quae leguntur

1) Ibn Hishâm. Weil. M. 51. K. 56. Spr. 177.

2) Ut مَشْرُكُونَ, quo nomine nunquam usus est prima aetate non magis, quam verbis سَبِّحْ بِحَمْدِ etc.

3) Haec enim sine dubio est آيَةُ السَّجْدَةِ, quae a B. dicitur. Cfr. ultima verba.

4) Ceteri, ut ita dicam, sunt historici, hi dogmatici.

5) In qua, ut in Sur. 19, quae de singulis prophetis narrat, ordiuntur a verbo وَأَذْكُرُّ; sed in Sur. 19 uberius dicit وَأَذْكُرُّ فِي الْغَلَبِ.

inde a v. 25, ad Davidem convertantur, etiam v. 28 ab iis non separaverim, sed eo significari puto revelationem psalmorum, qui saepius in Q. ad Davidem demissi esse dicuntur. Sed v. 67 sqq. ab his disjungendi sunt, quamvis aetate non admodum diversi sint. In Sur. 36¹⁾ lacuna inesse videtur. Nam inter v. 24 et 25 nullam mentionem fieri sceleris, ex quo quae orta sint, narrat partim v. 25 sq., partim v. 27 sqq., et per se mirum est, et plane abhorret a consuetudine M. Itaque unum versum omissum esse statuo²⁾. Sûrae 43. in qua prima invenitur uomen Jesu (عيسى), v. 44, cur a nonnullis Hierosolymis revelatus esse dicatur, per se facile est explicatu et jam a Weilio³⁾ expositum est. Ante v. 88, nisi me fallit, nonnulla verba ommissa sunt. Minime enim conjungi potest vox وقبيلة vel وقبيلة (cfr. de lectionibus B.) cum antecedentibus, quum inania sunt, quae B. de hac re disserit. — Sûrae 72 origo certa est, quum plurimi, M. a Tâif urbe redeuntem Nachlae, Genios se, Q. recitantem, audisse, revelatione accepisse, ferant⁵⁾. Quae res, quam fabulis aucta est⁶⁾, omnino in dubium vocari non potest. Weilius eam vix recte tertiae aetati attribuit. — Sûrae 23 v. 66 et 78 nonnulli pugnam Bedrensem significari dicunt⁷⁾, quod falsum esse, non uberius demonstrandum est. — Sur. 67. — Sûrae 21 v. 92 facile cum superioribus non cohaerere videri potest; sed hoc non verum esse, videmus e versu 53 Sûrae 23, qui locus hic repetitur, sed quasi amputatur. — Sur. 25 v. 47 a nonnullis in urbe Tâif revelatus esse fertur⁸⁾; sed bene cohaeret cum sequentibus⁹⁾, nec eos ab antecedentibus separa-

1) Quae a Muslimis „cor Q.“ appellatur et moribundis legi solet. (Mar. S. Mishk. 1, 507).

2) Cujus verba fere his similia fuisse videntur: وَتَشَبَّهَهُ وَتَمَلَّهُ وَكَانُوا مِنَ الْمُجْرِمِينَ

3) M. p. 374. B. hunc versum e Mekkanis excipit.

4) In v. 25 primo invenitur illud أَتَى, (de quo Ewald. gramm. Arab. II, 281 sq.), a quo M. hic orditur ea, quae dicit de Abrahamo, patris idololatriam non secuto, quum Mekkanis majores imitari non desinant (v. 22 sqq.)

5) Anni 10 mense Dū'lqā'da, quum ultimis diebus Shavvali Tâif peteret, ubi 10 dies commoratus est. Spr. 187 sq. Weil. M. 69. S. ad 16, 28. Ztschrift. d. deutschen Morgenl. Gesellschaft 1850 p. 196.

6) Genios putant venisse ex urbe Nisibi eorum numerum fuisse 7 etc. Ceterum de hac re cfr. Ibn Sa'd. Geiger. 14.

7) B. Ab eodem v. 66, 77 et 79 significari dicitur fames, qua Quraisitae post pugnam Bedrensem affecti sint.

8) Weil M. 374.

9) Nec igitur consentio cum Weil. (l. c.), M. imaginibus uti censenti, quibus altior sententia exprimitur; nec magis cum Geiger. p. 193.

verini¹⁾. Etiam v. 64 sqq., quorum rb. fin. non prorsus ideu est, atque versuum superiorum, tamen cohaerere videntur, quum laudem dei apte sequatur descriptio morum hominum piorum, praesertim quum jam ultimis verbis versus 63 ad hanc transeat. V. 68 — 70 in edit. Petrop. temere Medinenses dicuntur.

3. Sûrae aetatis tertiae.

Haec aetas omnium brevissima est, quum efficiatur solis annis 11, 12, 13 post Missionem peractis. Ejus Sûrae posterioribus aetatis secundae similes sunt ita quidem, ut omnia, quae in his apparent, in illis dilucidius ceruantur. Namque oratio ab ea, quae primis oraculis est, valde diversa, saepius, quam aetate 2., humilis et vulgaris sit. Quae autem dicit, maxime dilatantur; eadem res paene in quaque Sûra tractantur, nec M. orationem variare studet, sed saepissime iisdem verbis utitur. Itaque quanquam tantum abest, ut omni pulchritudine vacuae sint, ut non pauci sint loci, qui simplici et suavi dicendi genere unicuique placeant, nec desint imagines grandes et elegantes²⁾, tamen dicendi genus plerumque languidum et jejunum est. Dicendi brevitate in dies magis evanescente, versus magis magisque extenduntur. Quumque impetus contentioque dicendi, quae facile omnium animos in se advertat, maxime diminuta sit, M. hac aetate, priusquam orationem ipsam incipit, omnes homines appellare coepit³⁾, ut audientiam sibi faciat. Ad haec adde, quod etiam rb. fin. negligentissime utitur, quanquam plerumque efficitur syllabis frequentissimis in, in etc.

Sur. 17⁴⁾ cognitione dignissima est, quod in ea ter agitur de notissimo illo itinere Hierosolymitano et coelesti⁵⁾. De cujus tempore ita

1) Compara أرايت (v. 45) cum أرايت (v. 47).

2) Ul. 16, 15. cfr. 13, 16. Sed quantum interest inter has imagines, quarum verba ipsis non paria sunt, et breves, grandes illas, quae plurimae insunt in Sûris antiquissimis!

3) يا أيها الناس

4) Quam M. cum Sur. 39 quaque nocte legisse fertur (B. ad Sur. 39).

5) Cfr. locos, citatos in p. 5. Versus sunt v. 1; v. 62 (cfr. Ibn Hishâm), cui alii quidem aliam sententiam subjectam esse volunt (B.), ni fallori, ob verbum رويًا, quum plerique cum corpore (جسد) M. hoc iter fecisse putent; v. 95, quo Quraitae illud significantes introducuntur; in quo versu B. quidem itineris coelestis mentionem non facit, sed Sale in interpretatione verba addit. quae ab explanatore quodam accepisse videtur.

dissentiunt scriptores¹⁾, ut ego quidem aliquid certi statuere non audeam. Sed sine dubio ultimis annis, quos Mekkae degebat, hoc factum est. Haec Sūra constat e compluribus partibus, quae tamen, quum et dicendi genere et rh. fin. (qui hic non est ille vulgaris) similes sint, et quum sententiae modo artius, modo minus arte connexae sint, a M. ipso conjunctae videntur esse. Solus v. 1 non cum ceteris cohaeret, itaque eum, quippe quo agatur de itinere nocturno, ad banc Sūram, qua eadem res tractatur, a Muslimo quodam additum existimo. Sed ejus aetas a ceteris vix longo intervallo distat²⁾. Ante v. 2 nonnulli alii fuerint oportet, quum hic versus primus Sūrae esse non possit. V. 11 falso a nonnullis post Fugam demissus esse traditur ob Saudam uxorem, quae captivum custodia emisisset³⁾. E versibus 23 — 41, quibus M. omnia morum praecepta breviter complectitur⁴⁾, Weilius v. 35 Medinensem habet⁵⁾; sed et exspectare possumus, M. his versibus etiam interdicturum esse, ne alios interficiant, nec video, cur necessarium sit, verbis: »et dedimus ejus cognato (i. e. qui ejus mortem ulciscitur) potestatem« versus 173 sqq. Sūrae 2 significari. Quid? nonne hic mos antiquissimus erat, quem igitur M. sine dubio primis terrae temporibus a deo ipso institutum esse credebat? Quare non dubitavit, et hoc loco, ubi sola officii praecepta tradidit, et illo loco Sūrae 2, ubi *leges* tulit, eum sancire. Similibus autem rationibus, atque Weilianis, etiam v. 36 multosque alios Medinenses esse, demonstrare possumus. V. 75—82 a multis Medinenses ducuntur⁶⁾, quum v. 75 de Tāqifitis, qui anno 9 Fugae Islāmum amplexuri conditiones tulerant, quas M. accipere non licuit⁷⁾, versu 78 de Judaeis Medinensibus et v. 86 de spelunca Mekkana (cfr. 9, 40) vel de Mekka expugnanda agi putent. Sed jam B. praeter has explanationes veriores affert eorum, qui v. 75 et 78 de Qurais hitis agi, versui 82⁸⁾ autem communem significationem subjectam esse censent. V. 78 de Qurais hitis agi,

1) Cfr. Abulf. 31. Sunna 65. Ggn. I, 190 sq. Weil. ann. 83. C. de Percev. I, 411. Spr. 123. B. ad v. 1. Quin e narratione, quae est apud Mar. (vita 31), ante Fātimam natam (fere aetate Missionis) in coelum ascendit. Cfr. Q. Bibliandri 215.

2) De hoc versu, quem Weilius additium habet, infra agemus.

3) Fortasse tum hic versus, ante revelatus, a M. pronuntiatus est.

4) Itaque Ibn 'Abbās v. 23—39 in Mosis tabulis (in Decalogo) fuisse tradidit (B.).

5) K. 64. M. 577.

6) S. et B.

7) Gal. (S.) B. Spr. 87. cfr. Weil. M. 256. Ab. 105.

8) Qui ab iis, qui sacrum iter faciunt, pronuntiatur, simulatque Mekkam intrant. Ggn. II, 390.

negat etiam Weilius¹⁾; sed nonne hi jam ante Fugam M. urbe expellere conati esse possunt?²⁾ Et, si de Judaeis loqueretur, non diceret, eos *tum* (أَئِذَا), h. e., si hoc fecissent; non diu in terra sua commoratu-
ros fuisse (sed *nunc*, quum illud perfectum non esset, eos mansuros esse); quum re vera a M. Medina expellerentur. Quo accedit, quod orationis genus idem est, quam ceterorum versuum³⁾. V. 87 Muslimi, M. de una trium rerum, quas auctoribus Rabbiniis Jafr̄ibensibus, per legatos consultis, a Quraishitis interrogatus sit, agere, censent⁴⁾; quae res tam fabulosa est, ut non multum ei attribuendum neque inde colligendum sit, Sur. 18, in qua ad ceteras interrogaciones responderi volunt, huic aequalem esse. V. 103 sqq. facile putaveris, ante v. 2 sqq. ponendos esse, sed quum ob alias causas, tum quod وَعَدَ الْآخِرَةَ utroque loco non idem significet⁵⁾, hoc verum esse non potest. Praeterea non omittendum est, a Jabjā (Mar.) *totam Sīram* recte Mekkanam dici. — In Sūra 27 nonnulla verba omi-
sidentur. Nani post vocem سَبَّ versus 42 nonnulla (fortasse duo versuum dimidia; perierint necesse est, quum ea, quae nunc post eam leguntur, sine dubio nec reginae verba sint, nec *ad* eam dirigantur⁶⁾, sed *de* ea a Salomone vel ab aliis dicantur. Ante v. 93, nisi omnia me fallunt, لِقَائِهِ inserendum est⁷⁾. — In Surae 32 v. 23 quae leguntur: لِقَائِهِ — نَلَا تَكْفُرُ quum cum ceteris nullo modo conjungi possint⁸⁾, aliunde in hunc locum translata sunt. V. 28 sq. nonnulli, hic Bedrense proelium vel Mekkae

1) K. 64 sq.

2) Iter Tsifense, quod paulo ante fecerat, similem causam habuit.

3) Cfr. وَأَنَّ كَادُوا (etiam v. 75) إِذَا (v. 78, 77 et 75) أَسْتَفْعَرُ (78 et 66, sed in nullo alio versu universi Q.).

4) Sunna 52. B. et accuratissime C. de Percey. I, 381 sq. sec. Ibn Hisham Haec interrogatio est de spiritu, quem vulgo volunt esse animum hominis; sed multo verisimilius est, significari Gabrielem, qui saepius ita dicitur (الرُّوحُ وَالْمَلَأِكَةُ). Quod mirum nomen non intelligentes, quaesivisse videntur, quae ei notio subjecta esset. Si igitur hic commemorat eum, qui revelationes afferat, cohaerere videtur v. 87 cum sequentibus, quibus agitur de Q. revelatione.

5) V. 7 est promissio, quae spectat ad res, postea eventuras; v. 106 promissio vitae, post mortem agenda.

6) Cfr. فَبَلَّغْهَا.

7) In hac Sura prima saepe invenitur verbum أَسْلَمَ v. 42; 45: 83; 93.

8) Futilia afferi B.

expugnationem significari censes, Medinensem habent¹⁾, non magis recte, quam ii, qui v. 16 vel 16—20 vel 18—20 Medinenses putant²⁾.

Sûrae 18³⁾ prima pars, qua narratur fabula »hominum speluncae«⁴⁾, continuatur versibus 26 sqq., quum vox وَأَنْجِمْ بِهِ وَأَسْمِعْ (25)⁵⁾, quae illa accuratius definiuntur. Ante v. 58 facile nonnulla verba omissa videri possunt; sed quum مَوْدِعًا (v. 58) referendum sit ad مَوْدِعَ (v. 57), quum etiam rb. fin. accuratius sibi respondeat, quam vulgo⁶⁾, versum cum superioribus connexum esse existimamus; itaque تِلْكَ الْقُرُوءُ non sunt: »illae urbes, de quibus modo egimus«, sed: »illae urbes, quae vobis notae sunt, quae non procul a vobis absunt«. Sed cum haec Sûra M. conjunxit duas partes fortasse aetatis prioris, quae non minus insolentes sunt, quam prima pars, quum in iis agatur de Mose, mirum in modum dei providentiam et ipsius infirmitatem edocto, et de Dū'iqarnain, qui universum orbem peragravit⁷⁾. Sûra 21 has partes aetate prioris esse, inde sequi videtur, quod in ea (v. 96) Jāgūg et Māgūg (Gōg et Magōg) commemorantur; quem locum audientes non intellexissent, nisi M. hoc loco uberius de iis egisset. V. 109 et 110 prioribus partibus aequales videntur esse. — Sûra 41 M. 'Utam paulo post Hamzam ad

1) S. انْفِجْ est ultima dijudicatio, extremum iudicium divinum, non victoria.

2) Edil. Petrop.

3) Totam hanc Suram una revelatam esse, narrat Ibn Wisbam.

4) Quos Christiani 7 suisse tradunt: sed cfr. v. 21.

5) Aspice eum (semper respice eum. meditare de eo) et fac audire (praedica. doce, qualis sit).

6) Hic est au — i — ā; quum in aliis versibus sit ā.

7) Hic sine dubio est Alexander magnus, de quo, quum totam Asiam gravissime perculisset, ab Asianis permultae fabulae narrabantur, ita ut vel cum Hercule confundere-
deretur (fretum Gaditanum fodiendum curavit secundum not. et extr. 8, 14). Multi autem, ea, quae hic narrantur, ab Alexandro gesta esse non posse, intelligentes, alium quendam regem Jamanensem (Excerpta ex Abulf. 425. Sale.) vel regem Abrahami aequalem (Weil, bibl. Legenden d. Muselmanen 94 sqq. Sale) hic indicari, opinantur. De hoc vero novissimo tempore multa scripta sunt. Cfr. Graff (Zeitschr. d. D. Morg. Gesellsch. 1854 p. 442 sqq.), qui nobiscum consentit; Journ. of the Americ. orient. society 1854 nr. 2 p. 408 sqq., ubi fontes Syriaci aperiuntur et varia in Zeitschr. d. D. M. G. 1855. Nomen de quo multa finxerunt Muslimi (cfr. B. Ibn Qutaiba p. 26) jam ab Hottingero recte explicatum est (bibl. orient. 109, ubi etiam aliae interpretationes collectae sunt). Fortasse primitus alium significabat, quum fabulae vere Arabicae hic cum ceteris confluisse videantur.

Islānum amplectendum adhortatus esse fertur¹⁾; sed hoc verum esse non potest, quum multo post illam rem revelata sit. — Sur. 45. — In Sur. 16 nonnulli versus Medinenses inserti sunt. Nam v. 43 sq. quidem ad eos, qui in Aethiopiam fugerunt, referre possemus, nisi v. 111, his simili, distincte de iis ageretur, qui, Mekka relicta, cum Quraishitis pugnāvissent; quo fit, ut etiam illos Medinenses habeamus. Uterque locus fortasse jam a M. in hac Sūra positus est. Etiam v. 120, simillimus versui 111, Medinensis esse videtur. V. 115—118, cujus mentionem fieri puto jam in versu 119 Sūrae 6²⁾, Mekkani sunt, cum ceteris cohaerentes; sed v. 119, quo sine dubio mentio fit eorum, quae v. 147 Sūrae 6 dicuntur, non dubito, quin Medinae promulgatus sit, aequae ac v. 125, quo de Judaeorum Sabbato agitur. De v. 126 sqq., qui vulgo revelati dicuntur, ut Mustimi Hamzam, Ubudi caesum, a Quraishitis foedissime mutilatum, simili modo ulcisci vetarentur³⁾, jam recte judicavit Wellius⁴⁾. Sed v. 103—105, qui cum ceteris cohaerent, non recte idem⁵⁾ Medinae revelatos esse statuit; nam M. jam Mekkae alios versus in locum aliorum substituisse, non est, quod negemus⁶⁾. Nullius autem momenti esse opinionem eorum, qui, v. 105 Salmānum Persam⁷⁾ significari, dicunt, jam inde apparet, quod alii, hic alios indicari, tradunt, ita ut haec omnia in conjecturis posita esse intelligamus. — Sūrae 30 v. 1 sqq. revelati sint oportet, postquam Romani (Byzantini) magnam cladem acceperant. Quae clades est aut expugnatio Damasci (anno 614 p. Chr. n.) aut Hierosolymorum anno 615 aut Alexandriae anno 616 exeunte⁸⁾. Sed quum major Sūrae pars nullo modo tam antiqua esse possit, primos 3 versus quorum tamen ullimum verbum est سِينِ, non الْمُسْتَمُونَ⁹⁾; ceteris priores habeo; sed M. postea illos auxit, additis compluribus versibus, in quibus a victoria Romanorum sensim transit ad vitam coelestem. — Sūra 40 e

1) C. de Percev. I, 375 sq. sec. Ibn Hishām.

2) Ubi falso B. significari censet Sūrae 5 v. 4, qui est unus ex ultimis, quos M. accepit.

3) Ibn Hishām. B. Gal. (S.) Weil. M. ann. 179. C. de Percev. III, 110.

4) K. 64.

5) ibid.

6) Cfr. quae supra diximus de versibus, e Sur. 53 ejectis.

7) Mar. B. Weil. M. ann. 369. Hoc conclusisse videntur, quia الْحَمْدِ posterioribus temporibus in primis Persas significat.

8) Assemani bibl. orient. III, 412.

9) Weil. K. 67 vix recte oraculum 5 versus constare putat.

compluribus partibus constare videtur, quae tamen a M. ipso conjunctae sint: v. 1—6; 7—14; 15—57 (quo versu totam Sûram absolvere voluit, ita enim plurimarum Sûrarum finis est); 58 sqq. V. 37, qui sine dubio orationis ad Pharaonem conversae pars est, Gal. 1) Medinensem esse vult, aequae ac v. 59, sed non recte 2). — Sûrae 11, cujus partes, etiamsi non una revelatae sint, tamen cohaerent 3), v. 5 (qui tamen cum v. 6 ita connexus est, ut unus versus efficiatur, quum عَسَى iu fine versus esse non possit) a nonnullis in Taif urbe revelatus esse fertur 4); quae opinio, non video, quibus argumentis defendi possit. Alios, hunc versum de Simulatoribus Medinensibus pronuntiatum esse, dicentes, jam B. confutavit. De v. 37 infra disseremus 5). — Sûrae 14 v. 33 et 34 a nonnullis falso Medinenses ducuntur 6). V. 38 sq. cum superioribus ita cohaerere videntur, ut iis maximum beneficium exponatur, quo deus Mekkanos affecerit praeter cetera, modo enumerata. — Sur. 12, quae ab omnibus longis Sûris eo diversa est, quod, exceptis paucis versibus, qui tamen ad eandem rem referuntur 7), unius hominis vita narranda continetur, ea esse traditur, quam M. primis Jaîribensibus, de quorum numero non consentiunt scriptores, legerit 8). Quae res ob causas, a Weilio expositas, probabilis est. Nescio tamen, an potius 12 Medinensibus, qui eum anno posteriore (12 Missionis) audierunt, eam recitarit.

1) Mar.

2) In v. 39 pro كَدَّابًا propter rh. fin. legendum est كَدَّابٌ (pronuntiandum كَدَّابٌ)

quum versum cum posteriore conjungere, id quod fit in edit. Petrop., non possimus. In codicibus antiquissimis fere omittitur littera ب (not. et extr. 8, 297, 324, 330 sqq.; Adler descriptio codd. Cufic. 25. Moller, paläogr. Beiträge. Niebuhr, Beschreibung v. Arab. tab. IV et V etc.). Itaque كَدَّاب scriptum erat, quod et كَدَّابًا et كَدَّابٌ legere licet.

3) Ultimos versus cum ceteris conjungendos esse, jam inde intelligimus, quod v. 121 refertur ad vitas prophetarum, supra explicatas.

4) B.

5) Commemorandum est, in hac Sur. prima populum Shu'aibi, antea semper Al'aika dictum, quod nomen vere Arabicum habeo, Madjan vocari. Nam haec duo nomina eosdem significant, quum 1) Madjan et Al'aika unum prophetam habeant, ut nulli alii populi 2) postquam Madjan Shu'aibi populum esse dixit, alio nomine nunquam utatur 3) uterque populus vituperetur, quod non justo pondere et mensura uteretur (26, 128 — 7, 83 et 11, 86). Quae res aliis populis non crimini vertitur. Nomen Madjan fortasse a Judaeis accepit M.

6) Cfr S.

7) Cfr. v. 2 et v. 109 sqq., praecipue 111.

8) Weil. M. 380.

Quocum congruit, 'Auf ibn Hārīt, cui Weilius hanc Sūram datam esse dicit, a nonnullis non inter primos Medinenses numerari, sed anno 12 cum M. convenisse¹⁾. — Sur. 28 e 2 partibus constat 1) v. 1—84, ex quibus v. 52—55 falso Christianos, qui ad M. Medinam se contulerint, spectare ideoque Medinenses esse dicuntur. 2) v. 85 sqq., quorum primum M. accepisse fertur, quum Mekka Medinam fugeret²⁾. Sed quum v. 86 sqq. qui ab hoc separari non possunt, huic conditioni non apti sint, et quum لِرَادِّكَ اِنَّ مَعَادَ, quibus verbis haec interpretatio nititur, aliter explicari possint, hoc verum non habeo³⁾. — Sūrae 39 v. 54 ad quem Ibn Hishām v. 55 et 56 adjungit, B. Medinensem habet; sed id, quod narrat Ibn Hishām, non sufficit, ut hoc probetur, quanquam M. his versibus in re post fugam facta usus esse potest. — In Sur. 29 insunt nonnulli versus Medinenses. Nam v. 1 — 10 recte a multis Muslimis Medinae revelati dicuntur⁴⁾. Nam et v. 1, quo Muslimi reprehenduntur, quod molestias ferre nolint (quum Muslimi Mekkae summas injurias tulissent!), et v. 9 et v. 10 Medinenses sint oportet. Etiam v. 7 et 8 cum his cohaerere possunt, quanquam B. v. 8 multo antiquiorem habet, quum eo significari dicat Hamnam, matrem Sa'd ibn Abi Vaqqās⁵⁾, quem Muslimum factum esse audiverit. Hos versus revelatos esse censeo, quum in uua parvarum expeditionum, quae plurimae erant primis annis, post Fugam transactis, Simulatores⁶⁾ continuo pugnare et magnos labores tolerare recusarent. Hos versus M. ipse Sūrae Mekkanae praetexuisse videtur. V. 45 Medinensis est, quia Muslimi eos Judaeos⁷⁾, qui injusti sint, alio, quam pulcherrimo, modo (h. e. non verbis, sed armis) oppugnare jubentur. Sed v. 69 vix Medinensis est, quum verbo حَفِدٍ hic non pugnandi, sed prima notio »molestiis, laboribus forti animo resistendi«

1) Spr. 202 ann. et 203 ann. De hac Sūra infra pluribus agetur.

2) B. Weil. M. 373.

3) Idem censet Weilius K. 66. Aliam miram hujus versus explanationem vide in Weil. Geschichte d. Chalifen I. 174.

4) Mar. S. edit. Petr. Sunt tamen etiam, qui hos versus Mekkanos, ceteros Medinenses habeant (S.).

5) Hic est unus ex primis Muslimis. Ab. 18. Weil. M. 50. Apud Spr. 172 ann. 4 et Nav. 275 aut quintus aut septimus Muslimus habetur.

6) Ex hoc nomine, quod in Sura 2 nondum invenitur, concludo, vix hos versus pugna Bedrensi priores esse.

7) اهل الكتاب, quod nomen non est in Sūris Mekkanis. Ceterum de hujus versus origine agitur in Mishk. 471.

esse videatur ¹⁾. V. 18—22 praecipue ob verbum قُلْ, quo oratio ad ipsum M. convertitur, facile aliunde huc irrepsisse videntur. Sed quum etiam in Snr. 11 v. 37 hoc inveniamus, hanc vocem etiam in mediam orationem alius prophetae includi posse existimo. Nam brevitatis causa ante قُلْ omisit لله الله vel قُلْ له الله, cujusmodi verba e rerum contextu intelliguntur ²⁾. E v. 39 nescio, an colligere possimus, hanc Sûram posteriorem esse Sur. 28 v. 76 sqq., quum illo versu Qórach, terra haustus, significari videatur ³⁾. — Sûrae 31 v. 3 a nonnullis Medinensis habetur, quia in eo stipis (إِنَّزِيمَةً) mentio lit ⁴⁾. Sed haec jam antea fit ⁵⁾. V. 13 sq., quibus de stultis parentibus agitur, certe non rectus locus est; fortasse post v. 18 ponendi sunt, quo absolvuntur ea, quae dicuntur de Luqmâno, lilio sapientiae praecepta dante, ideoque illis opposito. Sed ante v. 15 nonnulla verba omissa sunt ⁶⁾. V. 26 — 28 nonnulli M. Judaeos Medinenses oppugnare putant ⁷⁾; sed non recte. — Sûrae 42 v. 22 (inde a verbis قُلْ لَا أَسْأَلُكُمْ — 25 Gal. ⁸⁾ sine causa idonea Medinenses dicit. — E Sura 10 ex antiqua narratione versus ejeclus est, qui fuerit post v. 25 ⁹⁾. Ejus verba integra haec sunt ¹⁰⁾: »Si filio Adami essent duae valles ex auro, praeter eas expeteret tertiam; et si ei esset tertia, expeteret quartam; nec implebitur venter filii Adami, nisi pulvere; sed redit deus ad redeuntes« (ignoscit resipiscentibus). Qui versus haud ita male congruere videtur cum v. superioribus, quibus de rerum exter-

1) Cfr: Weil. K. 67 ann. 1. B. dicit جاهد significare „oppugnare hostes externos et internos.“

2) Similis sententia est Geigero 126 sq. Grammatici hanc loquendi figuram vocant حكاية امر ماض. Cfr. de Sacy gramm. arab. I, 216 sq. B. ad 43, 23.

3) Versu 67 respondetur ad id, quod Naufal ibn Hârîr (sec. B. apud S.) Muhammedi opposuerat (28, 57).

4) B. cfr. edit. Petrop

5) Ut 19, 32.

6) Quo enim أَنهَا referri potest?

7) B.

8) Mar. et S.

9) Weil. ann. 597, ubi etiam exponit, quare M. hunc v. ejecisse videatur.

10) Mar. de Alcor. 42 et Fleischer. catalog. Lipsiens. 396. Brevius hoc oraculum est apud Weil. l. c. et in Arnoldi chrestom. 22, ubi in „Muhammedis dictis“ numeratur. Hic pro vallibus aureis minus bene commemorantur valles من مال. Ultima verba desunt.

narum, quarum homines cupidissimi sint, fragilitate agitur; extrema autem verba transire videntur ad v. 26. Sed rh. fin. (تَاب) non idem est ¹⁾. Quo accedit, quod alibi ejus locus alius fuisse dicitur ²⁾. V, 94 a nonnullis ³⁾ Medinensis habetur, quum, M. hoc loco cum Judaeis Medinensibus colloqui juberi, censeant. — Sur. 34. — Sur. 35. — Sur. 7 tota, vel prior quidem ejus pars revelata videtur, dum Arabes Mekkae peregrinationis causa congregati erant. Nam invehitur in morem et eorum, qui Kaḅam nudi circumibant ⁴⁾, et eorum, qui peregrinationis tempore paene omni cibo abstinebant ⁵⁾ (v. 29). Quae peregrinatio ultima fuisse videtur, cui M. civis Mekkanus interfuerit. In hac Sura multa prope ad verbum repetuntur, quae jam antea dicta sunt; quo fit, ut nonnulli loci priores videantur esse, quam ii, quibuscum cohaerent ⁶⁾. V. 163—

169 ob vocem وَأَسْأَلُهُمْ, ut Sur. 10, 94, Medinenses habentur ⁷⁾, sed non recte ⁸⁾. — Sur. 46 v. 9 Muslimi Medinensem volunt esse, ut paene omnes locos, quibus de Judaeis agitur ⁹⁾. V. 14 cum prioribus quidem non arte cohaerere videtur, sed quum v. 15 respondeatur ad v. 14, ut respondetur v. 13 et 17 ad v. 12 et 16, tamen jungendus est. V. 14

1) Pro عَلَى التَّائِبِينَ: عَلَى مَنْ تَابَ: si illa sententia recte est, legendum est عَلَى التَّائِبِينَ vel عَلَى الَّذِينَ يَتُوبُونَ (2, 222).

2) Apud Mar. (l. c.) legimus, eum fuisse بِسُورَةِ التَّوْبَةِ (Sura 9): sed apud Fleischerum (l. c.) est بَعْدَ لَهَا, pro quibus verbis legendum censet يَعْدُ لَهَا «quae par erat, longitudine aequabat Süram 9.» Hoc autem certum est, utrobique hunc versum e magna Sūra solum reliquum esse dici. Fleischer, quum librum suum componeret, nescivisse videtur, jam Mar. eosdem locos edidisse. Nam utriusque auctor est Abū'l Qasim Ilibat Allah.

3) Mar.

4) Quo more multo post M. Muslimis lege interdixit; quare sunt, qui hanc partem, qua non jubet, sed monet, Medinensem habeant (Weil. K. 63, 64).

5) De quibus cfr. B.

6) Ita Sur. 26 v. 15—50, contracti, sed etiam nonnullis rebus aucti, repetuntur v. 102—122 hujus Süræ.

7) B.

8) In v. 186 post بَعْنَةً nonnulla inserenda sunt, quibus rh. fin. restituatur. Verisimile est, haec esse وَأَنْتُمْ لَا تَشْعُرُونَ (ut 39, 56. Cfr. 7, 93; 12, 107; 26, 202; 29, 53; 43, 66).

9) Putant, hic agi de Abd Allah ibn Salam (Mar. et S. Nav. 347). Sed non certum quendam significari, intelligimus e verbis, non definitis.

rectene Muslimi de Abû Bekro agi censeant, dijudicare non audeo ¹⁾. Falso autem nonnulli ²⁾ hunc v. Medinensem habent. V. 20—31, qui cum ceteris versibus non cohaerent, quum v. 32 et 33 referantur ad v. 19, aliunde in hanc Sûram irrepserunt, quanquam aetas non perquam diversa est. — Sur. 6 v. 93 de 'Abd Allâh ³⁾, scriba M., vel de Musailima ceterisque falsis prophetis agi dicunt ⁴⁾, quanquam B. hos solius exempli gratia affert, nec verum Medinensem dicit. Mekkanum eum esse, non magis negaverim, quam plurimos versus, iisdem verbis incipientes. Gal. ⁵⁾ etiam v. 91 et 92 Medinae revelatos tradit. V. 118—121 fortasse ante v. 137 ponendi sunt. Tota haec pars, cujus ultimus versus est v. 154, Mekkana est, quanquam nonnulli excipiunt ⁶⁾ v. 142, (in qua stipis mentio fit) et plurimi v. 150—154 ⁷⁾, qui omnes bene conjungi possunt cum antecedentibus. Ante v. 155, quem B. simul cum v. 156 et 157 a quibusdam Medinensem putari dicit, nonnulla verba omissa sunt. Ceterum omnes partes hujus Sûrae non una quidem revelatione patefactae, sed aetate non multum distare videntur. — Sur. 13 a multis Medinensis esse traditur; alii vero hoc dicunt de solo versu 31 ⁸⁾, qui eo tempore revelatus sit, quo M. Hudaibijae erat (anno 6) ⁹⁾. Sed haec opinio orta est ex falsa interpretatione ipsius loci. Sed quam ob rem v. 29 Hudaibijae inspiratum esse dicant ¹⁰⁾, non intelligo. Neque recte B. v. 13 de 'Âmir et Arbad agi putat, qui, quum M. occidere voluerint, de coelo tacti sint ¹¹⁾.

1) Abu Bekr mortuus est anno 13, 63 annos natus (Abulf. Rske I, 220); itaque, si illa sententia vera est, fere 10 anno ante Fugam Muslimus factus est; quod etiam ex aliis rationibus sequitur. — Ceterum ad hunc versum infra redibimus.

2) Mar.

3) Qui oracula corruperat. Cfr. B. Ab. 93. Weil. M. 220.

4) Weil. M. 376. K. 63.

5) Mar.

6) B.

7) B. Gal. (Mar. et S.). Weil. M. 220, qui tamen in K. 68, eos Mekkanos esse, indicat.

8) B.

9) Quo magis hanc sententiam confirmet, nonnulli سجى secundam personam esse dicunt (B.)

10) Weil. M. 375.

11) Anno 9 Fugae. Weil. M. 256 sq. Cfr. carmen. quo Labid poeta fratrem Arbad plangit. Hamasa (ed. Freyl.) p. 468.

B. SŪRAE MEDINENSES.

Post Fugam M. conditio prorsus mutata est. Nam quum Mekkae fuisset homo, qui a plerisque despectus et irrisus, a paucis palam propheta agnitus, summa opera docendo obstinatos Quraishitarum animos permovere studeret, Medīnae, simul atque advenit, tantam potentiam assecutus est, ut nemo aperte ei resistere posset. E propheta et sapientiae magistro imperator et legum scriptor factus erat. Cui rei magna vis erat in oraculorum naturam. Nam simplicia doctrinae suae dogmata et ea praecepta, quae agendi principia et fundamenta essent, jam in Mekkanis Sūris saepissime exposita, Muslimis nota erant; adversariis autem ea probare, hac aetate non tantum curabat, quantum antea. Quapropter in bis Sūris raro tantum de iis disserit, maxime hoc agens, ut Muslimos adversariosve pro ratione temporum alloquatur, aut ut leges ferat. Sed Muslimos raro ita affatur, ut iis uberiore oratione agendi praecepta det; plerumque eos alloquitur aut post cladem aut post victoriam aut aliis magnis rebus gestis. Adversarios autem impugnat, non inops, ut Mekkae, sed ut qui sciat, se deo adjuvante ipsum hostes frangere posse. Ex his saepissime invehitur in Judaeos, quorum 3 stirpes Medīnae¹⁾ et in agro Medinensi habitabant, aliae nonnullorum dierum spatio ab urbe aberant²⁾. In bis, qui, quamvis doctrina vix excellere³⁾, tamen certe artibus et litteris ceteris superiores erant, initio M. magnam spem posuerat, quam quum fallerent⁴⁾, eo acrius eos insectabatur. Quae ira aucta est, Judaeis prophetam et diceriis pungentibus et armis impugnantibus. Itaque M. eorum impietatem aliaque vitia accusare non desinebat, donec omnes expulerat, vel necarat, vel in suam ditionem redegerat. Non tam libere, quam Judaei, quibus castella et arma erant, M. se opponere poterant ii, qui e ceteris Jařribensibus⁵⁾ eum dominum suum esse nolebant. Hi nomine quidem Islānum accipere debebant, sed, quocumque modo poterant, M. consiliis obstabant. Nam tantum aberat, ut hic omnium Jařribensium rex esset, ut non raro 'Abd Allāh ibn Ubai,

1) Banū Qainuqā'; B. Nadīr; B. Quraiza; sed etiam nonnullos e ceteris Jařribensibus Judaismum amplexos esse narrant. (C. de Percev. II, 688).

2) Incolebant Chaibar, Fadak, Vadr'iqurā etc.

3) Cfr. Geiger (p. 10).

4) Exceptis paucis, quorum clarissimus est 'Abd Allāh ibn Salam, qui saepe ab historicis et Q. explanatoribus commemoratur. De aliis doctis Judaeis, Islānum amplexis, agit C. de Percev. III, 25 secundum Ibn Hishām.

5) Stirpes Aus et Cbazrag, e Jamana oriundae (Weil. M. 410; C. de Percev. II, 212. Ibn Cotaibas Handb. d. Geschichte ed. Wüstenfeld p. 54 etc.).

Simulatorum (المنافقون) principi, obsequeretur¹⁾, aut, ab eo non adjutus²⁾, quod voluit, non perficeret. Quare M. hos, qui aut apertius aut occultius eum impedire conabantur, graviter oppugnat, idololatriisque³⁾ similes esse dicit. Quanquam enim in agendo interdum iis morem gerebat, tamen per Q., quam in mentem deus eum impellebat, ejus cogitata eloqui non dubitabat, sola nomina reticens. De Christianis, quorum terrae longis spatiis Jatribe distabant, multo rarius loquitur, plerumque amiciose erga eos animo affectus, sed nonnulla falsa dogmata iis reprobans. At in idololatrias, quos armis summa opera oppugnabat, etiam rarius invehitur. Sed magna harum Sûrarum, pars efficitur legibus, ex quibus sunt, quas in certum tempus ratas esse voluerit, sunt, quas dederit, ut perpetuae essent; sunt aliae civiles, aliae religionis spectant ritus, quanquam has partes non distincte separare possumus. Ex his legibus permultae ortae sunt e judiciis, factis de Muslimorum controversiis, quae in omne tempus manere decreverat. Tale judicium pronuntians, saepe simul complures leges ferebat, quae ad similes res spectarent. At sine tali causa vix ulla lex lata est; omnia ad vitam, ad ea, quae ipsi acciderant, referuntur. Aliud oraculorum genus denique efficitur iis, quae de rebus ipsius domesticis pronuntiavit.

Itaque quum res, quas his Sûris tractat, ab iis, de quibus antea egit, diversae sint, fieri non potest, quin etiam dicendi genus aliud sit. Sed tamen non tam differens est, quam facile expectaveris. Nam oratione valde similes sunt Sûris Mekkanis tertiæ aetatis. Maxime autem legum oratio ab aliarum partium oratione discrepat, quum illarum severitas nulla ornamenta admittat. Sed non bene rti. fin. etiam has ornare volebat; quo fit, ut versibus addere soleat nonnulla verba, cum ipsis saepe omnino non connexa. Quod vitium etiam alibi non satis evitavit. Sed saepe etiam harum Sûrum oratio vigena, concitata, venusta est⁴⁾, quanquam plerumque languet. Dicendi formulis fere iisdem utitur, quibus Mekkae, nisi ubi ob res ipsas novis verbis opus est⁵⁾. Inter

1) Ut de Qainuqa'ensibus non interlicendis.

2) Ut in pugna Uhudensi, in expeditione Tabûki. 'Abd Allah paulo ante Fugam regem creare voluerant (Weil. ann. 158. C. de Percev. III, 26, ubi uberius agitur de Simulatoribus).

3) Nam idololatriam Simulatores plurimi quidem absurdam esse intellexisse videntur; sed M. prophetam et regem agnoscere nolebant.

4) Ut 2, 16 sqq.

5) Ut Medinæ, qua in urbe non omnes idololatrias ceterosque homines simul docere studet, raro utitur verbis: „o homines!“; plerumque singulas partes alloquitur: „o qui creditis!“; „o Judaei!“ „o Simulatores!“ etc.

Sûras Mekkanas tertiae aetatis et has praeterea hoc interest, quod plerumque breviores sunt. Nam quum non multis verbis doceat, sed magis jubeat, judicet, condemnet, accuset, paucis versibus cogitata exprimere potest. Quo magis mirandum, plures quidem Sûras Mediuenses ita conjunctas esse, ut omnium longissimae sint! Ceterum leges priorum annorum breviores et simpliciores esse solent, quam posteriorum, quibus M. singulas res accuratissime definit. Sed praeterea temporis differentia diversa oratione non cognoscitur.

Primae Sûrae, quas M. Medinae promulgarit, non ad nos pervenisse videntur. Vix enim dubium est, quin M. multas res, quae ei, simul ac Medinam venit, instituendae fuerunt, Q. sanciverit. Ita Qiblam, Hierosolyma conversam¹⁾, aliosque mores Judaeorum²⁾ sequi Muslimos oraculis jussos esse, existimo. Sed haec oracula, postea abrogata, interierunt. — At Muslimi vulgo primam Sûram Medinensem volunt esse Sur. 2³⁾. Quodsi Sûras nunc exstantes spectamus, tunc sententiam veram dicere possumus. Nam paucis versibus exceptis, tota Sûra primis annis revelata est; et nonnullis ejus partibus paucae vel nullae aliae revelationes Medinenses priores sunt.

V. 1—19 (usque ad verbum قددير), qui similes sunt Sûris Mekkanis posterioribus, invehitur in eos, qui, se prophetae credere simulantes, tamen Muslimi non sint. Sed quum, eos pugnare et stipem dare⁴⁾ nolle, non dicat, hi versus, quanquam primis temporibus editi esse non possunt, quippe quibus illorum voluntatem nondum expertus esset, tamen aut ultimis primi, aut primis secundi anni mensibus revelati videntur esse.

Sed v. 19—25 (inde a verbis يا أيها الناس), nisi animus me fallit, Mekkanis sunt. Fortasse autem jam v. 24 sq. Medinenses sunt, postea a M. ad hos versus additi, quibus refelleret Judaeos, qui ei humiles et vulgares imagines objurgavisse videntur. Ad Judaeos enim permagna hujus Sûrae pars conversa est, quae tota, et postquam aliquamdiu Medinae fuerat, ut Judaeos cognosset, et antequam cum iis bellum gesserat, promul-

1) Ab aliis quidem jam post ascensionem in coelum Qiblam Hierosolymitanam instituisse fertur (Ggn. I, 312). Alii hanc a Muslimis Mekkae semper servatam esse tradunt (C. de Percev. III, 54. Ab. 46). Sed hoc nec verisimile est, nec probatur a Gal. (Mar.) ad 2, 136. B. ad 2, 138, nec congruit cum Sur. 2, 138, ubi multos Muslimos Qiblam Judaicam aegre tulisse dicit. Cfr. etiam Weil. M. 90.

2) Ut jejuniium 'Ashura' (Pococke spec. 301. Weil. 91).

3) Edit. Petrop. tabula Sûrarum (Weil. M. 370). Weil. K. 68.

4) Nec vox منافعون in iis invenitur. Ceterum quod dicit Ibn Hisbam, circiter 100 primis versibus de Judaeorum magistris et de Simulatoribus agi, non accuratum est

gata est, e mea quidem sententia. Composita est e compluribus particulis, aetate non multum distantibus, quarum multae nescio an a propheta ipso conjunctae sint. Plurimis ipsorum narrationibus, interdum iisdem, atque in Sûris Mekkanis, verbis utens, eos ab antiquissimis temporibus obstinatos et impios fuisse, ostendit. Incipit (v. 26—37) a primis hominibus, obiter commemorans, id quod Mekkae saepius narraverat, Adamum ab angelis adoratum esse; qua re ne Judaei offendantur, ante refert aliam rem, qua hujus causam explicet et quasi eam excuset¹⁾. V. 38—43 quasi praefatio est versuum sequentium. V. 59 insertus videtur esse in hanc partem, quae efficitur v. 44—69, sed tamen magis eum cum ceteris cobaerere putaverim, ita ut eo Judaeis improbis pii homines omnium religionum, quibus sacri libri sint, opponantur. V. 70—76 Muslimos alloquitur, sed agens de Judaeis; cum qua parte connexi sunt v. 77—87. V. 88—90 et 91—97 revelati sunt ob impie dicta nonnullorum Judaeorum, illi, quum aliquis dixisset, solos Judaeos in coelum perventuros esse, hi, quum Gabrielem, oracula apportantem, Judaeorum inimicum vocassent²⁾. Cui angelo M. opponit Hârût et Marût³⁾, impios homines inspirantes. V. 98—104 non multo antequam cum Judaeis bellum geri coeptum est, revelati videntur esse. Nam v. 103 Muslimis praecipit, ne Judaeos adorianur, donec deus hoc jubeat; ita ut, M. belli occasionem exspectasse, intelligamus. Hujus loci aetatem paulo posteriorem esse, etiam e v. 100 apparet, quum leges, quae hic abrogatae dicuntur, vix aliae sint, quam eae, quas Judaeorum gratia tulerit. V. 105—115 non modo Judaeos, sed etiam Christianos⁴⁾, idololatriasque Mekkanos, omnium injustissimos (v. 108), oppugnat. V. 109 cum ceteris ita cobaeret, ut eo consoletur Muslimos, se Kâba ab idololatriis privatos esse, aegre ferentes. V. 116—135 demonstrare studet, Abrahami doctrinam, quam ipse sequatur, sed a qua Judaei desciverint, veram esse. Jam eo Judaeis adversatur, quod ea, quae de illo narrat, non Judaica, sed Arabica sunt; quibus ostendat, Kâbam Mekkanam esse templum dei antiquissimum et praestantissimum. Non dubito, quin, haec narrans, jam de Qibla a templo Hierosolymorum ad Kâbam convertenda

1) Cfr. de hac re Geiger. 85 sqq.

2) Cfr. Sunnam 345. B. Ibn Hishâm. Hoc dixisse ferunt 'Abd Allah ibn Sûrljâ', quem etiam alibi commemorant (ut ad 5, 45. B.).

3) De quibus cfr. Mar. Prodrôn. 4, 83 et Geiger 101 sqq.

4) B. v. 107 revelatum dicit, quum legati Christianorum Nagranensium apud M. fuissent. Sed hanc rem, quae facta est anno 9 (C. de Percev. 3, 275 sqq.), interpretes commemorant, ubicunque de Christianis agitur. Qua re nihil attribuendum est huic sententiae.

cogitaverit. Itaque hi versus non multo priores esse possunt, quam v. 136—147, quibus tandem preces faciens Kābām versus oculos couvertere iubetur. Praedicat autem deus, multos hac re offensum iri¹⁾. Ii versus igitur revelati sunt Shābāno mense anni secundi²⁾. V. 148—152 promulgati sunt bellis jam institutis; recte B. de pugna Bedrensi agi censeat, necne, non dijudicaverim. V. 154—157 cum his conjungendi videntur esse, quum patientibus, quibus deus bona precetur, (v. 152); opponantur impii, quibus omnes maledicant (v. 154; v. 156)³⁾. V. 158—162 sunt Mekkani, fortasse conjungendi cum v. 196 (inde a verbis *فَبِئْسَ النَّاسُ*) — 198 et v. 200—203⁴⁾. Nam complures res, quas Muslimi his versibus spectari dicunt⁵⁾, probari non possunt. Mekkani sunt etiam v. 163—166, quibus impugnat idololatrias, quos saepe patres nimis diligenter sequi dicit. Hanc partem praeposuit versibus 167—171 Medīnensibus, quum et hic et illic de cibis agat, quibus vesci fas sit. Fortasse hic impugnat Judaeos, postulantes, ut cibis, quos ipsis edere non liceat, etiam Muslimis interdicit⁶⁾. V. 172 edidit, postquam Qibla mutata multū offensi erant; quare talem ritum multo minoris momenti esse dicit, quam animum pium et officiorum diligentem. Weilius quidem vix recte hunc versum versibus 136 sqq. priorem habet⁷⁾. Sequuntur 3 leges, quae non modo ternorum versuum numero, sed etiam pari initio⁸⁾ tam similes sunt, ut vix dubium sit, quin una latae sint. Quarum secunda quum de Ramadāno mense secundi anni agatur⁹⁾, hae leges promulgatae sunt aut ipso mense¹⁰⁾, aut, id quod potius crediderim, mense antecedente¹¹⁾. Harum legum finem facit v. 182. Sed v. 183 nonnullis annis posterior est; nam et multo accuratior est, quam ceterae leges, et revelatus est.

1) V. 136: „dicent stulti“ (simulatque hoc audiverint) etc.

2) Una narratio apud Ibn Hisham. Ab. 42. Nav. 26. Weil. 91. C. de Perceev. III, 54. Sed Ibn Sa'd, Ibn Hisham et B. Ragabem nominant.

3) Praeterea iis, qui pro veritate interfecti sint, opponit eos, qui mortui sint impiis animis (v. 149 et 156).

4) Praecipue attende illud *فَبِئْسَ النَّاسُ* (v. 160, 196, 200); etiam rh. fin.

5) Cfr. B. et Zeitschrift f. Kunde d. Morgenlands I, 96.

6) Cfr. Weil. M. ann. 115.

7) K. 69.

8) *كَيْفَ عَلَيْنَا*.

9) Ab. 46. Nav. 26. Weil. 91. C. de Perceev. III, 55.

10) Ut ait Nav. l. c.

11) Ibn Sa'd.

quia *saepius* jejunii tempore nimis omnibus voluptatibus abstinerant¹⁾. M. igitur hunc versum postea ad legem, qua illud instituerat, addidit. V. 184 e majore oraculo superesse videtur. V. 185 — 199 (exceptis verbis *فإن الناس — إحساب*) omnes referendi sunt ad peregrinationem, quam M. suscepit anno 7²⁾. Nam v. 185 et v. 196 — 199 Muslimos docet, qui ritus iis peragendi sint. V. 186—191 autem timentibus, ne Quraishitae, quanquam anno 6 pace Hudaibijensi hoc anno ad Ka'bam venturis fidem publicam dederant, hostilem in modum ipsos arceant, permittit, ut, si eos adoriantur, se defendant, nec dubitent, violata templi mensisque sacri religione, cum iis pugnare, et eos ex urbe expellere, qui quum antea, tum anno superiore idem fecerint³⁾. Ex his versibus 185 primus est, secundi sunt 186 sqq.; ultimi 192 sqq. Cum his conjungendus est v. 153, quem Gal.⁴⁾ revelatum esse tradit, quum Muslimi inter montes Safa et Marvam ex antiquo more currere cunctarentur. Quae sententia vera videtur. V. 204—206 promulgati dicuntur esse, quum Muslimi Judaeorum mores imitari vellent⁵⁾. V. 207—210 cum his cohaerere videntur. V. 211—219 exceptis v. 212 sq., de quibus infra disseremus, respondet ad varias res, quas interrogatus est. Ex quibus quum v. 214⁶⁾ recte ob Abd Allah ibn Gahsh descendisse traditur, qui sacro mense Ragabe anni 2 pugnare ausus erat⁷⁾, horum versuum aetas certa videtur esse. Etiam v. 222 hoc tempore editus esse potest; sed cum hoc M. conjunxit leges accuratas et copiosas (v. 220 sq. et 222—243) de matrimonio, quae fortasse compluribus annis posteriores sunt. Sed errore in bas inclusi sint v. 239 sq., quos in una ex primis expeditionibus ante pugnam Bedrensem revelatos esse puto. V. 245 sq. conjungendi sunt, ni fallor, cum v. 212 sq., qui revera unum versum efficiunt, ita ut haec lex et e 3 versibus constet et ordiatur a verbis

1) كنتم تختانون.

2) حجة القضاء.

3) Cfr. B. ad v. 189.

4) Apud Ggn. II, 81 et S.

5) Weil. M. annot. 115.

6) V. 216 — 219 ita distinguendi sunt: v. 216 a verbo يسألونك usque ad نفعمنا; v. 217 usque ad الآخرة (utriusque rh. fin. est a); v. 218 usque ad حكيم.

Itaque versuum numerus uno major est.

7) B. Ibn Hisham. Weil. 101. Cfr. de hac re Ab. 46. Weil. 98 sqq. Jour. as. 1839 p. 99.

كُتِبَ عَلَيْكُمْ; quare aequalis videtur esse legibus, de quibus supra egimus (173 sqq.)¹⁾. Quod etiam rebus ipsis confirmatur, quum hic quoque locus non multo ante proelium Bedrense promulgatus sit. Cum his certe cohaerent v. 244²⁾ et v. 247 — 252, quibus exemplis, ex Israelitarum historia petitis, Muslimos ad fortitudinem et obedientiam impellit. Ex his videmus, hos versus editos esse tempore, quo M., mox magno proelio cum Quraishitis confligendum esse, senserit. Fortasse cum his conjungendi sunt v. 260 sqq. (quorum ordo videtur esse 260, 262, 261), quibus similis sententia subjecta est, atque v. 244³⁾. V. 253 sq. horum finem facere videntur. V. 255 sq.⁴⁾ et 257—259, quibus socii vetantur, filios per vim ad Islámum accipiendum adigere⁵⁾, ex primis Medinensibus videntur esse. V. 263—281, quibus stipem dare jubentur et foenerari vetantur, primis 3 annis Medinensibus revelatos duco⁶⁾. V. 281 a nonnullis ultimus esse dicitur, quia demissus sit anno 10, die mactandi (i. e. ultimo die peregrinationis)⁷⁾ 8). Quae opinio et ab alia, infra commemoranda, discrepat, nec per se verisimilis est. Sed nescio, an M. illo die orationem babuerit, in qua hunc versum pronuntiavit. V. 282—284 sine dubio multo posteriores sunt. Ultimos versus⁹⁾ primo tempore Medinae peracto, demissos habeo.

Súrae 2 partibus, priore tempore (ante pugnam Bedrensem) revelatis, aequales sunt nonnullae parvae Súrae: Sur. 98, ad Judaeos conversa, a nonnullis Mekkana habetur¹⁰⁾, certe ob nullam causam, nisi quod omnes ceterae Súrae, quae sunt in hac ultima parte Q., Mekkae divul-

1) Contra dicere potes, v. 246 non arte cum v. 245 connexum esse, ut una lex dici possit, sed deo pecuniam mutuum dare sive in sacra bella gerenda sumptum facere saepissime cum pugnando jungitur. Utrumque dicitur جهاد, sed illud est *بالمال*, hoc *بالتيسر*.

2) Quem cum v. 245 connexum esse, jam B. intellexit.

3) Attende etiam *أَنْ تَرَى*.

4) V. 256, quem versum solii (أَيُّهُ الْكُرْسِيُّ) dicunt, plurimi aestimant (Mishk, I, 501, 511; B. Reinaud monum. Muslim. II, 15 sq.).

5) Cfr. Mar. et B.

6) Sine dubio errat B., qui v. 264 eos significari dicit, qui M., anno 9 Gracos adorturum, pecunia adjuverint.

7) Sale prel. disc. 120.

8) Cfr. B. et accuratius edit. Pelrop.

9) Quibus Muslimi summum pretium constituunt; quum eos et Sur. I „duo lumina“ dicant (B. Mishk. I, 502).

10) Mar. S. B.

gatae sunt. -- Sur. 64, Mekkanis similis, ideoque a multis ¹⁾ Mekkana habita, ob alias res Medineusis sit necesse est ²⁾. — Sûrae 62 prior pars paulo post Sur. 2, 88 sqq. edita videtur ³⁾. Altera pars (v. 9 sqq.) vix posterior est.

Sûra 8 paene tota ad Bedrense proelium refertur. V. 1 — 19 paulo post victoriam revelati sunt; v. 20 — 46 nonnullis diebus post a M., Medinam reverso, pronuntiati sunt, quum pugna ita commemoraretur, ut, eam jam aliquanto ante commissam esse, intelligas, et quum quinta praedae pars prophetae attribuat ⁴⁾, quae v. 1 aliter distributa est. Etiam v. 27, quo B. quidem Abû Lubâbam significari dicit, qui Judaeos obscure de M. consilio certiores fecerat ⁵⁾, de praeda agit, quam ne devertant, Muslimos monet. V. 30 — 36 nonnulli ⁶⁾ falsissime Mekkanos habent; sed M., ut, victoriae laetitia elatus, Muslimos adhortatur, ut memores sint temporis, quo infirmi fuerint (v. 26), ita ipse in memoriam revocat aetatem, Mekkae peractam ⁷⁾. Cum hac parte cohaerere videntur v. 47—64, quibus imperat, ut *omnes* hostes acerrime oppugnent. V. 65 B. quidem aut, postquam Omar Muslimus factus esset, aut paulo ante pugnam Bedrensem revelatum esse, tradit; sed mihi cum v. 66 cohaerere videtur, qui ob summam spem perpetuae victoriae vix ante pugnam promulgatus est. At postea M., ne nimis audaces fierent, v. 67 addidit. V. 68 (sq.) Weilius ⁸⁾ post Ghudensem cladem revelatum esse censet. Sed nescio, qui hoc factum esse possit. Neque enim eos, qui captivis temperaverint, poena affectos esse dicit ⁹⁾, sed, oraculo a deo demisso, hac poena eos liberatos esse. Quod oraculum videtur esse Sur. 47, 4 sq. (quibus unus versus efficitur). Praeterea hic versus cohaeret cum v. 70, quo de praeda, ad Bedr capta, agitur. Itaque hi versus, ut 71 sq.,

1) B. etiam a Weilio K. 63. Alii versum 1—8 Mekkanos, reliquos Medinenses habent (Mar.).

2) Verba v. 1 saepissime in Surarum Medinensium exordiis, nunquam in Sura Mekkana leguntur: nec Mekkanae sunt hae dicendi formulae: *اطيعوا الله وأطيعوا الرسول* (v. 12), *ايا ايها الذين آمنوا* (v. 14) etc. Denique cfr. v. 16 sq.

3) Nam hujus loci verba imitatur v. 6.

4) Cfr. Weil. M. 411. Ante M. duces quartam partem accipiebant (Weil. M. ann. 145. Reiske ad Abulf. I, ann. 56).

5) Weil. M. 428.

6) Mar. et S.

7) V. 31 reddendus est: et quum (= quoties) iis legebantur signa nostra etc.

8) K. 72.

9) Hanc poenam autem Weilius (l. c.) illam cladem esse existimat.

majori Sûrae parti aequales sunt. Sed v. 73 sq. priores sunt, quippe quibus M. agat de foedere fraterno, quinto mense post Fugam inter Profugos (مهاجرين) et Adjuutores (انصار) iclo, quod post pugnam versibus 75 sq. abrogatum est ¹⁾.

Non multo post hoc proelium edita est etiam Sur. 47 ²⁾, cujus posteriore parte invenitur in Simulatores et in eos, qui, quum victoria reportata; superiores sint ³⁾, cum hostibus pacem conciliare velint. — In Sur. 57, quam ob dicendi genus nonnulli Mekkanam habent ⁴⁾, pugna Bedrensis commemoratur (v. 10). Nam non Mekkae expugnationem significari ⁵⁾, videmus e tota Sûra, qua non tam potentem se praestat, quam erat, Quraishitis in ditionem suam redactis. Itaque haec Sûra Sur. 47 aequalis vel ea paulo posterior est. — Sur. 4 ea est, cujus aetas ex omnibus Sûris Medinensibus difficillima est inventu. Etenim per paucas res tractantur, quae ab historicis narratae sunt. Nam causae nonnullorum versuum, quas interpretes asserunt, aut dubiae aut parum accuratae sunt, ita ut nihil ex iis discamus. At hoc mihi verisimillimum est, paene totam Sûram pugnae Bedrensis aetate posteriorem esse ⁶⁾, sed haud scio, an maxima pars primo vel secundo anno post illam promulgata sit. Prima Sûrae pars constat e legibus Sur. 2, 223 sqq. aetate vix magno spatio distantibus ⁷⁾: 1 — 18, quibus justus exitus est (17—18) simul editas esse puto. His fere aequales sunt v. 19 — 22; 23—32. Paulo priores habeo v. 33—45, quorum ultimis Simulatores impugnare suscipit. Nam major Sûrae pars conversa est ad Judaeos et ad Simulatores, adversarios acerrimos. Sed ante hanc partem legitur v. 46, cujus aetatem conjectura quidem assequi possumus. Nani aqua deficiente pulvere ablui, Muslimi in bello, contra Mustaliqenses gesto, jussi esse dicuntur (anno 6) ⁸⁾. Sed vinum eos jauri in bello Nadirensi anno 4 ⁹⁾

1) De hoc foedere, quo cognationis vincula aliquamdiu soluta sunt, cfr. Ibn Sa'd: Ibn Hishâm; Ab. 45; Weil. M. 83 sq.

2) Mecum consentit Weilius K. 72 sq.

3) V. 37.

4) S. Mar. B.

5) B. Eadem est sententia Sale, qui in interpretationem inseruit verba „of Mecca.“ Idem. quod ego, censet Weil. K. 73.

6) Weilius (K. 71) hanc Sûram, quae tot leges accuratissimas continet, in qua M. saepissime in Simulatores, pugnare et sumptum facere recusantes, invenitur. iis Medinensibus annumerat, quae primo tempore post Fugam revelatae sunt.

7) Sed eam certe posteriorem esse, quam illos, videmus e v. 11 et 5, quamquam B. (ad 2, 218) eos priores habet.

8) Ab. 73. Weil. M. 159.

9) Ab. 60. Weil. M. 139. Nav. 26 minus accurate dicit, hoc factum esse post pugnam Ubudensem.

bibere vetatos esse tradunt, quanquam sunt, qui hoc anno 6 factum esse dicant¹⁾. Atqui versus, quo ebrii preces facere vetantur, certe autea revelatus sit oportet. Itaque mihi quidem hic versus anno 4, ille, quo iis vino omnino interdicitur, anno 6 revelatus videtur esse²⁾. Quod dicit de pulvere, eidem anno attribuo, sed quum hoc in bello Mustaliqensi iterum fieret, Muslimi, ut saepe faciunt, tum demum versum revelatum tradunt. — V. 47—60 aetas fortasse intelligi potest e v. 54, quo non sine aliqua verisimilitudine, M. Ka'b ibn Ashraf aliosque doctos Judaeos significare, dicunt, qui post pugnam Bedrensem Mekkam iverant, ut Qu-raishitas ad bellum reovandum adducerent³⁾. Qui Ka'b quum non multo post necatus sit⁴⁾, hi versus paucis mensibus illa pugna posteriores videntur esse. V. 62—72 his fere aequales habeo⁵⁾. Sed v. 73—86 post Uhudensem cladem demissi sunt, quum e v. 86, idololatrias tum viribus superiores fuisse, videamus. V. 87—89 cum his cohaerent. V. 90—95 et 96 aetas nec ex ipsis, nec ex iis, quae afferunt interpretes⁶⁾, certe intelligi potest; sed, quum v. 97 etiam eos, qui non pugnaverint, praemiis, quamvis minoribus, affectum iri dicat, quae iis post pugnam illam profecto non promittebat, et quum v. 99⁷⁾, ut v. 90, loquatur de Mekkanis aliisque Arabibus, qui Muslimos quidem se esse dicentes, tamen ad prophetam fugere nolint, itaque Simulatores sint, et v. 90—96 et v. 97—101 illa clade priores videntur esse. Sed v. 102—105⁸⁾, quibus precatio, quam timoris dicunt (صلوة الخوف), describitur, anni 4. Gumada al

1) Weil. ann. 288.

2) Locos, quibus de vino agit, B. (ad 2, 216) recte in hunc ordinem redigit: 16, 69 (Mekkaus) 2, 216; 4, 46; 5, 92. Quocum consentit scriptor Turcicus, cujus libri partem in linguam Germanicam convertit v. Hammer (Wiener Jahrb. 69, 27 sqq.). Sed, quomodo Weilius hunc versum eo, quo vinum bibere omnino vetantur, posteriore habere possit, non video. Nonne M., si res ita se haberet, eos, qui ebrii preces fecissent, multo gravius reprehendisset? Quo accedit, quod ambo scriptores hic agi dicunt de Abd Arrahman ibn Auf, qui quum unus ex primis et excellentissimis Muslimis esset (Nav. 385 sqq.: Ab. 18.: Weil. M. 50.; Spr. 172), certe M. non tali re offendisset.

3) B. et Gal. (S.). Secundum Ibn Hisham v. 54 et 57 ii significantur, qui Qu-raishitas aliosque Arabes ad Medinam oppugnandam incitaverunt (anno 5).

4) Weil. M. 119. Ab. 54.

5) Cfr. v. 63 cum v. 54.

6) Id, ex quo ortum dicunt v. 95, factum est anno 6 (Ggn. I, 436. Weil. M. 222. Ab. 71), sed id, ex quo v. 96, anno 8 (Ggn. II, 89).

7) V. 90 Ibn Hisham eos significari dicit, qui, quanquam Islamo dediti, tamen cum Mekkanis M. apud Bedr oppugnantes, occisi sint. Quod mihi dubium videtur esse.

8) V. 105 quidem B. aliam causam esse dicit.

ulâ inense in expeditione, quam contra Gaṭafânitas suscepit, demissos esse ferunt¹⁾. V. 106—113, quibuscum conjungo v. 114 sq., B. revelatos dicit ob Týmam, qui Zaid ibn Assamin Judaeum furti accusavit, ab ipso facti. De aetate hujus rei nihil dicere possumus, nisi verisimillimum esse, eam priorem esse anno 5, quo Quraizani, qui ultimi Judaeorum Medinam habitaverant, ad internecionem caesi sunt²⁾. Sed v. 116—125 et 130—133, sine dubio cohaerentes³⁾, quibus involvitur in idololatriam Mekkanorum, primis temporibus attribuo, quae Medinae degit. V. 126—129 paulo post versus primos hujus Sûrae revelati sunt. Etiam v. 134, quocum conjunxerim v. 61⁴⁾, primis temporibus Medinensibus attribuo. V. 135—151, quibus Simulatores impugnat⁵⁾, quando pronuntiaſi sint, dicere non possum. V. 152—168 ob magnam dicendi acerbilitatem M. promulgasse videtur, postquam jam cum Judaeis bellum gesserat. His v. 169—174, quibus, etiam Christianos multa falsa docere, demonstrare studet, ob v. 174, qui horum finem facit, ut versus 168 illorum, aequales habeo. V. 175 versu 15, quem accuratius definit, non multo posterior videtur esse⁶⁾. — Eidem aetati attribuimus Sur. 5, qua Sur. 2, 227 sqq., ab hac Sûra non magno intervallo distantes, complentur. — Sûrae 3 priore parte M. maxime id agit, ut et Judaeis et Christianis, solum Islâmum, quem Abrahamus secutus sit, veram religionem esse, persuadeat. In prima parte (1—15) mentio fit pugnae Bedrensis, quae non multo ante commissa esse videtur⁷⁾. Etiam per se verisimile est, cetera omnia, quibus non modo Judaeos, sed etiam Christianos ad Islâmum accipiendum adducere vult, revelata esse, postquam, victoria reportata, maxime se erexit, ita ut ampla consilia caperet. Ceterum quom hic Christianos alloquatur, fieri non potest, quin Muslimi,

1) Mishk. 1, 310 sqq. Weil. M. 141. C. de Percev, III, 126. Sed Nav. 26 et Abd al Haqq (ad Mishk. 1, 311) hanc expeditionem anno 5 fuisse narrant.

2) Ab. 69; Weil. 170.

3) Animum attende ad verba: „et dei est, quidquid est in coelis et in terra.“ quibus incipit v. 125, 130, (in quo haec verba bis leguntur) et v. 132.

4) De quo quae tradunt Muslimi, recte judicavit Weil. K. 72 ann. 2.

5) Falso B. versu 136 Judaeos significari censet.

6) Sed B., nitens auctoritate Gâbir ibn Abd Allah hunc versum ultimum esse dicit, qui iudicium vel legem contineat (يٰٓاَيُّهَا الَّذِيْنَ اٰمَنَ مَا نَزَّلَ مِنَ الْاَحْكَامِ). Hoc sine dubio falsum est.

7) Verisimile est, recte apud Ibn Hishâm legi, v. 10 sqq. dictos esse de Judaeis Qainuqâensibus, qui monerentur, ne, ut Quraishitae, Muslimos oppugnantes, graves poenas darent.

haec legatorum Nagranensium causa demissa esse, dicant¹⁾. Singulae partes, quas paene omnes aequales duco, fere hae sunt: v. 16—24 (post quos duo versus inveniuntur, quos B. quidem revelatos dicit, quum anno 5 Medina fossa circumdaretur²⁾, qui tamen priores esse possunt, ita ut M. eos tum pronuntiarit tantum); 27—57; 58—86³⁾, ex quibus Weilius⁴⁾ v. 79 certe posteriorem esse dicit, quod in eo omnibus, qui non credant, aeternas poenas proponit. Sed M. eos, qui ex ipsius sententia Christi doctrinam revera sequerentur, certe Credentes habebat; itaque eos tantum impios (كفرة) esse credebat, qui, sacris libris corruptis, ab ea descivissent, etiamsi Christianos se esse profiterentur. Quapropter M. hoc primis aunis non minus dicere poterat, quam ultimis. V. 87—89 revelati sunt, quum Judaei cibis, sibi non licitis, etiam Muslimis abstinentium esse, v. 90—94 autem, quum templum suum antiquius et praestantius, quam Kābam, esse contenderent⁵⁾. V. 95—103 revelati videntur esse, quum Judaei Ausitarum et Chazragitarum, qui per Islāmum amici facti erant, veterem discordiam denuo concitare studerent⁶⁾. V. 104—113 haud scio, an paulo priusquam Judaeos adortus est, editi sint. Nam e v. 107 videmus, Muslimos jam credidisse, Judaeos de bello cogitare; M. autem, eos aut hoc facere, aut, si faciant, fortiter pugnatos esse, negat. Itaque hi versus, ut, nisi fallor, multi alii hujus Sūrae, paulo post pugnam Bedrensem revelati sunt, quum in Judaeos Qainuqāenses aut uno mense, aut nonnullis uensibus post invaserit⁷⁾. Paulo post, quum Judaei odium non amplius retinerent (v. 114), revelati sunt v. 114—116. Sequitur gravissima Sūrae pars, revelata, postquam Muslimi apud Uhud montem a Mekkanis devicti erant⁸⁾. Sed ante versum 117 nonnulli

1) Ibn Hishām et B. amplius 80 versus, C. de Percev. (3, 276) praecipue v. 54 ob hanc rem revelatos esse dicit, quum Ibn Sa'd hanc legationem narrans nihil dicit, quam iis Qoranum lectum esse. Alii v. 57—63 ad Nagasium Aethiopicum (Weil. M. 382) vel v. 57 ad Heraclium Caesarem (Weil. ann. 309. Ggn. II, 35) missos esse tradunt. V. 61 eo die descendisse fertur, quo Nagasius Muslimus factus sit (paulo post pugnam Bedrensem Ggn. I, 340).

2) Ab. 63 sqq. Weil. M. 160 sqq.

3) Versus 80 sqq. sec. Ibn Hishām pugna Uhudensi posteriores sunt. Sed quod narrat, ad hos versus non aptum est.

4) K. 73 sq.

5) Cfr. B. et Gal. (apud Mar. et S.)

6) Ibn Hishām. B. ad v. 95. Maxime hoc probatur versu 98 (in quo utitur verbis 8, 64) et v. 101.

7) Weil. M. 118 et ann. 157. Ab. 51.

8) Ibn Hishām non satis accurate v. 117—173 post hanc pugnam coelo demissos esse dicit.

perisse videntur, fortasse postea ab ipso M., ea, quae, quum malis urgeretur, dixisset, non probante, delati. V. 123 accepisse fertur, quum, vulneribus affectus, in campo jaceret¹⁾. Verum esse potest, eum tuu talia cogitasse, sed nunc versus cum ceteris cohaeret et nonnullis diebus post demum editus esse potest. V. 125—130, qui in primis Medinensibus numerandi sunt, hanc particulam disjungunt ab alia, quae efficitur v. 131—141, eodem tempore revelatis, aequae ac v. 142—149 et v. 150—154. Post v. 154 leguntur 4 versus, quos plurimi revelatos esse dicunt, quum nonnulli, in praeda Bedrensi non inveniētes vestem pretiosam, fortasse M. eam abstulisse dicerent²⁾. Alii autem eos dictos esse putant de sagittariis, qui, sibi praedae nullam partem datum iri, suspectantes, ordines reliquissent³⁾. Sed quum haec explicatio nimis contorta sit, ob nullam aliam rem inventa videtur esse, quam quod illam narrationem, (quae profecto non ficta esset, nisi aliquid veri in ea inesset!) impiam habebant. Quam ob rem aliam quaerentibus facile haec se obtulit, quum tota hac parte de illa clade agatur. Cum v. 154 cohaerent v. 159—176, in quibus etiam commemorantur ii, qui die post pugnam Mekkanis denuo obviam iverant⁴⁾. V. 177—181⁵⁾ si Baidāvio credere licet, M. iuspirati sunt propter Finhās (Pinhās) ibn 'Azūrā' Judaeum Qamuqāensem, cui etiam alia hujusmodi attribuuntur⁶⁾, M. irridentem. Sed fortasse aequales sunt v. 182 sqq., qui non multo post pugnam Ubudensem demissi sunt. Nam Muslimos, injurias, a Judaeis acceptas (أذى), tranquillo animo ferre non jussisset⁷⁾, nisi post cladem, qua auctoritas ejus diminuta erat. Idem cognoscimus inde, quod v. 194 agit de iis, qui dei causa violati et interfecti sint et v. 196 de idololatriis, secunda fortuna se jactantibus, et quod v. 200 Muslimos malorum patientes esse jubet. — Sur. 61, quam nonnulli Mekkanam dicunt⁸⁾, non recte Weilium⁹⁾ paulo ante Mekkae expugnationem revelataui habere puto. Nam v. 4 ii reprehenduntur, qui *in pugna* non tam fortes se

1) Ibn Hisham; Ab. 57; B.; Gal. (Mar.)

2) B.; Gal. (S. et Mar.).

3) B. De re ipsa cfr. Ab. 57. Weil. M. 127. Ibn Cotaibas Handb. d. Gesch. p. 79.

4) V. 166 sq. cfr. Weil. M. 130.

5) Secundum Ibn Hisham v. 177 et v. 183 sq.

6) Cfr. B. ad 5, 69.

7) 183.

8) S.; Mar., B.

9) K. 76 sq.

praestiterint, quam ante promiserint (v. 2). Rectius igitur Muslimi¹⁾ hic agi dicunt de pugna U^hudensi, in qua multi ordines descruerant (nec pugnauerant »velut essent aedificium firmum«). Victoria, cujus mentionem facit in v. 13, quam valde expetant Muslimi (quia post cladem ea maxime egent), non est expugnatio Mekkae, sed aut nulla certa, aut jam cogitat de Nadirensibus adoriendis. V. 5 - 9 eodem tempore promulgatos esse arbitror.

His Siris paulo posterior est versus, qui est de iis, quos hostes perfidi apud Medinam interfecerant²⁾. Qui versus ob causam a Weillio allatam³⁾, a M. abrogatus videtur; nec eum ipsum vidi, sed Weilius eum Germanice reddidit⁴⁾. Surae 59 maiore parte M. agit de Judaeis Nadirensibus, quos anno 4 mense Rabī al'avval e castellis excedere coegit⁵⁾. De v. 18 sqq. aetate nihil certi habeo. Sur. 33 e compluribus partibus constat. Certissima est aetas v. 9 - 33, quos promulgavit Dūlqāda mense anni 5⁶⁾, iis Arabum stirpibus, quas Qurashitae ad bellum excitaverant, Medina, quam obsederant, regressis⁷⁾ et Judaeis Qurazanis, eorum sociis, deditionem subire coactis⁸⁾. Fere eodem tempore M. accepit eos versus, qui referuntur ad Zainab hint Gabsh, quam M. in matrimonium duxerat, quum fuisset uxor Zaidi, ejus liberti et filii adoptati⁹⁾. Quod vulgo factum dicunt exeunte anno 5¹⁰⁾; quocum congruunt ii, qui hoc factum dicunt non ita multo ante bellum, gestum cum Mustaliqensibus¹¹⁾. Versus sunt: I sq., qui quasi prooemium esse videntur;

1) B.

2) Ab. 60 sq. Weil. M. 133.

3) M. ann. 597.

4) Ibid.

5) Ab. 60 sq. Weil. 135 sq. Sed etiam alia opinio invenitur, ex qua Nadirenses 6 mensibus post pugnam Bedrensem, ideoque ante pugnam U^hudensem expulsi dicuntur. (Zeitschrift d. Deutschen Morgenl. Gesellschaft 1850 p. 16).

6) Ibn Qutaiba 80. Nav. 26 hoc bellum (bellum Fossae) anno 4; sed Nav. bellum Qurazianum anno 5 fuisse dicit.

7) Ab. 63 sqq. Weil. M. 160 sq.

8) Ab. 67 sqq. Weil. M. 168 sqq.

9) Weil. M. 145 sq.

10) Sale ad v. 37. Nav. 842. Sed hic ait alios narrare, Zainab prophetae nupsisse anno 3.

11) Nam vulgaris sententia est, hoc bellum gestum esse anno 6 (Ab. 71, qui secundum Weil. ann. 214 Ibn Hisham sequitur. Nav. 26. Buchari in Zeitschrift d. Deutschen Morgenl. Gesellsch. 1850 p. 17 etc.); alii autem id fuisse anno 5 tradunt (Ab. ib.; quos Weilius M. 143 sqq. sequitur), alii denique anno 4 (Buchari l. c.). Sed consentiant de mense Sha'bano.

4 sq., quibus filios adoptatos non veros filios esse dicit (itaque Zaidi uxorem sibi in matrimonium ducere licere); v. 36—40; 52—55, quos revelatos esse narrant, propter eos, qui M. nuptiis diutius interfuerint¹⁾. Cum his cobaeret v. 59, fortasse paulo post ad ceteros additus. Etiam alios versus, quibus de M. uxoribus agitur, cum his cobaerere puto: 6²⁾; —8; 28 35³⁾. Etiam v. 49—51, quibus ancillis quoque, bello captis, sibi nubere licere, dicit, non ante hoc tempus revelati esse possunt, quum prima ancilla, quae hoc fecit, fuerit Ribāna Quraizana⁴⁾. Sed v. 52 sine dubio compluribus annis posterior est⁵⁾. Neque magno spatio a ceteris distare puto v. 48, quo 2, 237 accuratius explicatur. Sed v. 41—47, cum quibus cobaerere videntur v. 56—73 (excepto v. 59), primis annis post Fugam revelatos esse, existimo. — Snr. 63, quam editio Petrop. Mekkanam facit, in bello Mustaliqensi promulgata est, quia v. 1 et v. 8 non dubie significantur ea, quae Abd Allāh ibn Ubai in illa locutus erat⁶⁾. Sed v. 9 — 11 etiam alio tempore revelati esse possunt. — Sūrae 24 gravissima parte agitur de iis, quae Aīshae in eodem bello et postea acciderunt⁷⁾. Cum hac parte, quae efficitur versibus 4 sq. et 10—26⁸⁾, cobaerere videtur lex de stupro 1—3. Sed v. 6 9, si verum est, quod traditur de Uvaimire, qui Tabūko reversus (anno 9) uxorem gravidam invenit⁹⁾, postea ad has leges additi sunt. Sed fortasse, jam ante revelati, ad illam causam dijudicandam adhibiti sunt, ita ut tum demum eos demissos esse crederent. Quo accedit, quod B. aliam revelationis causam commemorat, quum dicat, significari Hilāl ibn Umaiya. Praeterea in hac Sūra complures leges sunt, quae omnes spectant decentiam et bonestatem; quarum causa fortasse illud est, quod Aīshae acciderat:

1) Weil. ann. 229 (p. 153). Ante bellum Mustaliqense hos versus revelatos esse, apparet etiam ex iis, quae Aīsha narrat (Weil. M. 152).

2) B. hunc ad eos spectare censet, qui anno 9, Tabukum ire jussi, se parentes veniam rogaturos esse, dixerint.

3) Num forte v. 28 uxoribus divortium proponit, quia novam aemulam aegre tulerint?

4) Cfr. Weil. M. 170 sq.; Ab. 69.

5) Hoc bene exposuit, confutatis Muslimorum opinionibus (de quibus cfr. Nav. 48), Weilius M. 358 sq.

6) S. Ab. 72 sq. Weil. M. 148 sqq.

7) B. S. Mar. Ab. 73 sq. Ggn. 1, 441. Reinaud, monum. Musulm. II, 125. Weil. 151 sqq.

8) V. 22 Abūbekr significatur, qui se Mistahum, sororis filium pauperem, quia fuerat inter Aīshae accusatores, non adiuturum juravit (B. Weil. M. ann. 236).

9) Weil. M. 273. Cfr. Nav. 491; Mishkat II, 125.

quae si non omnes eodem tempore latae sunt, tamen et v. 27—33 et 57—64 aequales habere possumus. Illi versus constant e 3, hi e 5 legibus. V. 34—45 priores videntur esse. V. 46—56, quibus invehitur in Simulatores, revelati sunt tempore, quo malis urgebatur avideque exspectabat, fortunam mutatum iri. Itaque eos editos habeo post cladem Uhudi, sed ante bellum Fossae. — Cum hac Sūra conjungimus versum, cui simile est argumentum, quum sit de poena adulterii. Quo versu abrogatur Sur. 4, 19 sq. Verba, quae ab iis, qui Q. collegerunt, sine dubio errore, ommissa sunt, sunt haecce¹⁾. »Ne destituatis patres vestros; nam haec in vobis impietas est; et quum maritus et matrona adulterantur, lapidibus eos necatote utique poena²⁾ a deo (constituta); quum deus sit potens et sapiens!« — Sur. 22, quae vulgo Mekkana, sed a nonnullis³⁾ Medinensis habetur, e compluribus partibus constat, quarum plures quidem sunt Mekkanae, sed graviores Medinenses. Versus Mekkani tertiae aetati attribuendi sunt. Quorum major pars constare videtur e. v. 1—24, ex quibus v. 20—24 (nisi fallor ob falsam v. 20 explicationem) a B. et Gal. (Weil. M. ann. 589) falso Medinenses habentur; v. 43—56; 60—65; 67—75. V. 11 sq. Gal.⁴⁾ quidem Medinenses habet, sed sine causa. V. 51 revelatum esse, quum Quraishitarum deos quodammodo agnosset, ut dicunt Muslimi, jam supra negavimus. E versibus Medinensibus plurimi (25—38), quibus ritus Mekkae perficiendos exponit, eo tempore revelati videntur esse, quo M. ad Kābam peregrinaturus erat, cujus itineris finem fecit pace Hudaibijensi⁵⁾. V. 66, qui iis sine dubio aequalis est (cfr. v. 35), cum aliis cobaerebat, qui interierunt. V. 39—42 recte eos dicunt⁶⁾, quibus primis Muslimis permissum sit, cum hostibus pugnare. Hi versus igitur primo anno promulgati sunt. Sed errant, qui hoc jam paulo ante Fugam jussum esse dicunt⁷⁾. V. 57—59, qui fortasse a M. ipso in hoc loco positi sunt, non ante pugnam Bedrensem revelati esse possunt, quum in iis commorentur ii, qui in bello interfecti sint. V. 76 sqq. fere eidem tempori attribuo. — Sur. 48 post pacem Hudaibijensem demissa est; sed soli

1) Mar. de Alcor. 42. Etiam Weil. M. 352 hunc versum ex Arabico in Germanicum convertit.

2) البتة نكالا من الله.

3) Ut in Sūrarum tabula. Weil. M. 370.

4) S. et Weil. M. ann. 589.

5) Ab. 74 sqq.: Weil. M. 172 sqq. Mishk. II, 292 sqq.

6) B. Weil. M. 94.

7) Ibn Hisham. Ggn. I, 275. Reinaud. monum. Muslim. I, 205; Spr. 207.

versus 8—17 paulo post hanc, nisi me fallit, priusquam Medinam redierant, promulgati sunt ¹⁾, quum v. 11 et 15 dicat, quomodo eos, qui expeditioni non interfuerint, se excusaturos esse exspectet (سَبْعُولِينَ). Sed v. 1—8 et v. 18 sqq. revelati sunt, postquam M. Judaeos Chaibareses in ditionem suam redegerat, quorum divitias jam Hudaibija rediens Muslimis promiserat ²⁾, et quos non multo post (Muharramo mense) adortus erat ³⁾. Nam non modo primus versus, in quem explanandum interpretes summam operam contulerunt ⁴⁾, sic facillime et simplicissime explicatur, sed etiam v. 18 sqq. ⁵⁾, quibus, Muslimos pro fide, quam prophetae dederint Hudaibijae, paulo post victoriam magnamque praedam assecutos esse, dicit, et v. 27 nullo alio modo explanari possunt.

Nec huic sententiae obstat, multa de rehus, Hudaibijae gestis, disseri. Nam tum denum, quum nova victoria ejus auctoritas aucta esset, iis, qui aegerrime ferebant, se non omnia, quae cupiverant, in illa expeditione assecutos esse, optime demonstrare potuit, nihilominus se a deo adjuvari, qui etiam Hudaibijae iis optime consulisset. — Surae 58 primi versus ab historicis, paulo postquam M. Hudaibija redierat, revelati dicuntur ⁶⁾. Sed hoc certum non est ⁷⁾. Ceteri versus, in quibus etiam Judaei commemorantur (v. 15) priores esse videntur ⁸⁾. — Surae 60 v. 1 sqq., quibus M. Muslimos monet, ne eos, qui ipsos, cognatos suos, in exilium miserint, amicos habeant, quamvis fieri possit, ut mox amicitia restituantur (v. 7), recte Muslimi ei inspiratos esse tradunt, postquam Hâtîb ibn Balia'uraishitîs litteris annuntiarat, M. eos adorturum esse ⁹⁾. Itaque haec Surae pars revelata est primis diebus Ramadâni mensis anni 8. Sed v. 10 sq., quibus, ut videtur, v. 12 aequalis est, jam Hudaibijae revelati sunt ¹⁰⁾. V. 13, quo Judaei significantur, aut aequalis, aut non

1) B. quidem totam Suram in reditu ab Hudaibija editam esse dicit.

2) V. 15. De magna praeda, hoc bello parva, cfr. C. de Percev. III, 202.

3) Ab. 78 sqq. Weil. 184 sqq. At Ibn Qutaiba p. 80 narret, bellum Chaibarense fuisse anno 6, uude sequitur, eum credidisse, illud ante peregrinationem gestum esse. Idem inde apparet, quod belli prius, quam peregrinationis, mentionem facit.

4) Cfr. B. Mar. S. Weil. M. ann. 274.

5) V. 18 etiam nonnulli Muslimi (apud S.) Chaibarem significari dicunt.

6) Ggn. II, 27. Weil. M. 184 et annot. 280; v. Hammer, Wiener Jahrb. 69, 49. Cfr. etiam Sale.

7) Dubitat etiam Weil. 72, 78, quanquam fortasse ejus sententia non vera est.

8) Ceterum 10 priores versus a nonnullis Mekkanis habentur (B.).

9) Ab. 88. Nav. 196. Weil. M. 209 sqq. B.

10) Ggn. II, 21. Cfr. Weil. M. 183. v. 12 vero a B. die expugnationis Mekkae revelatus dicitur.

multo prior est. — Paulo ante Mekkae expugnationem promulgata est etiam Sur. 110¹⁾, quae a nonnullis ob eandem causam, atque Sur. 98, Mekkana ducitur²⁾. — Sur. 49 e compluribus partibus constat. V. 4, cum quo cohaerent versus antecedentes et v. 5, quanquam Gal.³⁾ versui 2 peculiarem causam esse vult, refertur ad legatos Tamimitarum, qui anno 9 liberius et clariore voce coram M. locuti erant⁴⁾. V. 6—8 revelati sunt ob Valid ibn Uqba, qui paulo post Mustaliqenses calumniatus erat⁵⁾. His aequales esse videntur v. 9 sq., quorum miram causam narrant interpretes⁶⁾. V. 11 non ante annum 7 revelatus est, si verum est, ut ait B., eum referri ad Safijam Judaeam, quam M. Chaibare expugnata in matrimonium duxit⁷⁾. Sed fortasse hic versus, ut sequens, cum superioribus conjungendus est. V. 13 Quraishitas superbiae moderari jubet, nescio, an paulo post expugnationem⁸⁾. V. 14 sqq. Asadenses significari tradunt, qui ob agrorum sterilitatem, se jactantes, quod Muslimi essent, a M. victum poposcerant⁹⁾. Etiam hic versus, ut ceteri prope omnes, anno 9 revelatus esse videtur, quo anno messis angustius provenerat¹⁰⁾. — Sur. 66 v. 1—5 graviter reprehendit M. uxores, quae Mariae Coptae causa cum ipso altercaverant¹¹⁾. V. 10—12, quibus bonarum et maliarum mulierum exempla proponit, cum his cohaerent. Hi versus revelati sunt paulo postquam Tabùko redierat. V. 6—9 fortasse agit de iis, qui Tabukum se non secuti sint. — Sûrae 9 versus gravissimi ii sunt, quos M. in peregrinatione anni 9 Alium Arabibus recitare jussit¹²⁾. Hi sunt v. 1—12, quibus Muslimis praecipit, ut, sacris mensibus transactis, omnes idololatras adoriantur praeter eos, quibuscum in certum tem-

1) De hujus Sûrae argumento cfr. Ggn. II, 205; Mishk. I, 336.

2) S. Errat Ibn Qutaiba, qui eam anno 10 demissum esse narrat (p. 82).

3) S.

4) Ibn Sa'd. S. C. de Percev. III, 271 sqq. Weil. M. 244 sqq.

5) Nav. 212. Ggn. II, 200. Mar. B.

6) Mar. S.

7) Weil. M. 186. Ab. 78. Nav. 846 sq.

8) Ggn. II, 36. C. de Percev. III, 232.

9) B.

10) Weil. M. 253 sq. et 258.

11) S. Mar. Weil. M. 274 sqq. Alii tamen, hanc rem propheta indignam habentes, aliam causam excogitaverunt, quae perquam ridicula est. Cfr. B.; Mishk. II, 118.

12) Weil. M. 278. Ab. 106 eum nonnullos versus primae partis hujus Sûrae, B. eum 30 vel 40 versus legisse dicit. Minus accurate loquuntur, qui, ut Ibn Chal-dûn (Freytag. Chrestom. 160), eum (totam) Sûram 9 legisse narrat.

pus foedus fecerint¹⁾; v. 17 — 22 (quibus praeponendum esse censeo v. 28), quibus idololatrae sacra Mekkana adire vetantur; v. 36 sq., quibus abrogatur *انتيس*. mos Arabum, ex quo pro Muharramo mense Safarum sacrum faciebant²⁾. Verisimile est, etiam v. 23 sq. et v. 29—35, quibus Judaeos et Christianos, idololatrias similes, oppugnari jubet, donec tributa (*نَجْرِيَّة*) pendant, eodem tempore promulgatos esse. Sed v. 13—16 nullo modo cum bis cohaesisse possunt. Nam v. 13 agit de populo, qui se expellere studuerit (neque vero expulerit); hi nulli esse possunt, nisi Judaei. Significare videtur Quraizanos, qui, foedus violantes, cum ceteris M. hostibus se conjunxerant, ut ejus opes contunderent³⁾. Ceterae Sûrae partes paene omnes referuntur ad expeditionem Tabükensem, quam suscepit Rağabo mense anni 9, et cui multi Medinenses et Arabes scenitae non interfuerunt⁴⁾. Sed hi versus non una revelati sunt, quum alii, antequam profectus est, alii in itinere, alii post reditum pronuntiatii sint. Priusquam iter susceptum est, promulgasse videtur: v. 38—41, cum quibus cohaerere puto v. 25—27; 49—73; ex quibus B. quidem v. 66 in ipso itinere editum dicit; sed Weilius⁵⁾ eum illos spectare narrat, qui ante iter susceptum Medinae clam deliberarint. In itinere ei inspiratos esse existimo: v. 42—48⁶⁾; 82—97; v. 120—123, quorum ultimo fortasse de 'Alio, Medinae relicto agitur, qui, quum Simulatores, M. eum secum ire vetuisse, dicerent, ne ipsi molestus fieret, prophetam consecutus, hoc iuterrogavit⁷⁾. Postquam redierat, revelati sunt v. 74—81, quorum ultimum referunt ad 'Abd Alläh ibn Ubai, Simulatorum principem; v. 98—107, in quibus ii commemorantur, quos poenituit, quod domi manserant, ita ut ad columnam se aeligarent, donec a M. liberarentur, et tres illi⁸⁾, quibus M. veniam non dedit⁹⁾. V. 108

1) hi, qui v. 7 significantur, non esse possunt, nisi ii, quibuscum foedus ictum erat, quum M. anno 8 a Taif urbe reversus Mekkae esset.

2) De quo cfr. Sale prel. disc. 149. *De Sacy mem.* 48, p. 606 sqq. Weil. M. ann. 432. B. ad v. 37.

3) Ab. 66. Weil. M. 160. C. de Percev. III, 150. Non probari possunt ea, quibus B. v. 14 explicat, qui tamen etiam Judaeos commemorat.

4) Ab. 103 sqq. Weil. 258 sqq. Sed Quraishitarum nulla fit mentio!

5) M. p. 259 ann. 398.

6) „Jurabunt“ (quum redieris, ut recte addit B.) 42; „permisisti“ (priusquam profectus es) v. 43 etc.

7) Ab. 104. Weil. M. ann. 400.

8) B. Sed alii (Weil. M. 428) hic significari volunt Abū Lühābam, de quo alii Sur. 8, 27 agi dicunt.

9) Ab. 105. Weil. 269 sq., praecipue ann. 414.

--111, quibus impugnat Banū Ganm, qui malo consilio templum aedificaverant, aut, quum primum Medinam rediit, aut paulo ante revelati sunt¹⁾. V. 118 sq. denique 3 Muslimis veniam dat. Eodem fere tempore v. 85 edidisse fertur, qui referatur ad 'Abd Allāh ibn Ubai²⁾. Sed hunc versum, qui cum ceteris bene cohaeret, non hunc solum spectare, sed postea tantum ad illum relatum esse censeo. Denique hoc tempore revelati sunt v. 124—128, in quibus Simulatores aperte كاذبون vocantur v. 124)³⁾. V. 112 sq. quando revelati sint, non bene scio. Fieri potest, ut ante iter susceptum M. eos acceperit. V. 114—117 promulgasse videtur, quum matris Aminae sepulcrum adiret⁴⁾. V. 129 aut Mekkani, aut ii esse dicuntur⁵⁾, qui ultimo loco demissi sint. Prior sententia vera est.

Haec Sūra a multis Muslimis ultima habetur⁶⁾. Sed alii, Sur. 5 omnium extremam demissam esse, tradunt⁷⁾. Quod facile explicari potest, quum Sur. 9 ea sit, cujus major pars ultimo tempore demissa est, quanquam in Sur. 5 nonnulli versus insunt, ceteris omnibus posteriores. Hinc fit ut etiam nos de ea ultima agamus.

Hi versus ii sunt, quos M. in ultima peregrinatione⁸⁾ paulo ante mortem Muslimis legit. Qui omnes ad religionis ritus spectant, ita tamen, ut pluribus accuratius explicetur, quam legibus ante latis, quibus rebus uti fas et quibus uti nefastum sit. Primos Sūrae versus ita disponendos censeo: v. 1 (qui e duobus versibus constat; recte Mar.) v. 4, usque ad vocem فسق, conjungendus cum v. 5 inde a voce فَيُصْنَعُ: v. 6; v. 7; v. 4 inde ab الميم et v. 5 usque ad ديننا⁹⁾. Ultima verba eo tempore pronuntiata esse animadvertimus, quo M. ipse, fortasse se morti propinquum esse, jam sentiens, omnibus adversariis desperantibus, doctrinam suam absolutam esse, recte dicere potuerit. Etiam Muslimi hoc in-

1) B. Gal. Weil. M. 276 sq.

2) B. Weil. M. ann. 433 et p. 429.

3) De Simulatoribus hic agi, intelligimus e v. 125 cfr. etiam v. 74.

4) B. hoc anno 8 factum esse dicit, sed Ibn Sa'd (Arnold. Chrestom. 177), cui major fides habenda est, hoc anno 6 fuisse dicit. Sed hujus versus mentionem non facit. Alij hic agi volunt de Abū Talībo, id quod non minus verisimile est (B. et narratio apud Ibn Sa'd).

5) B. De secundae opinionis origine mox agemus.

6) Mar. B.

7) Ut Sūrarum tabula Weil. M. 371.

8) حجة الوداع.

9) Simili modo versus disponit Weil. M. ann. 504.

telligunt¹⁾. Simul cum his promulgati videntur esse v. 8—10. Ceterae partes omnes priores sunt. V. 2 sq. tum reuelatos non esse, inde sequitur, quod Muslimi, si a quo in sacrum territorium non admittantur, per vim in id invadere vetantur, quum anno 7 hoc permiserit²⁾, et quod eos, qui Ka'bam petant, violari vetat, quum anno 9 omnes idololatrias templo arceri iusserit³⁾. Itaque hi versus anno Hudaibijae (anno 6) reuelati sunt⁴⁾. His aequales sunt v. 95—97, quos etiam Muslimi huic anno attribuunt⁵⁾. Etiam v. 11—13 ob dicendi genus eodem tempore demissi videntur⁶⁾; fortasse etiam 98—100 et 102—104, quibus superstitionis Arabum ritibus veros ritus opponit. V. 42—44 Weilius⁷⁾ in ultima peregrinatione reuelatos putat, sed non video, cur hoc faciat, quum M. in illa alias leges civiles non tulerit. V. 14 Muslimi diversis modis explicant⁸⁾; sed nullus ita est, ut, eum verum esse, nobis persuadeant. Profecto perdifficile est versus, quo commemoratur res, saepissime facta, certam causam invenire. V. 89 sq. Gal.⁹⁾ et B. de 'Otmâno et nonnullis aliis agi volunt, qui superstitione omnibus cibis abstinerint. Sed nihil certi afferunt. Cum his versibus cohaerere videtur v. 91¹⁰⁾, cuius jam Sur. 66, 2 mentio sit. Lex, quae continetur v. 92—94, anno 6 latam videri, jam supra exposuimus¹¹⁾. V. 101 B. reuelatum dicit de Surâqa, qui, quum M. inspiraretur Sur. 3, 91¹²⁾, quaesiverit, num quoque anno hominibus peregrinandum esset. Sed hoc verum esse non potest, quum M. tales res interrogare Muslimos vetuisse non possit. V. 105—107 nec, id quod Weilius censet¹³⁾, simul cum brevi lege promulgati sunt, quae efficitur Sur. 2, 175 sqq., nec eam abrogant, quae B. est opinio, sed sine dubio nonnullis annis post reuelati sunt, quibus lex pa-

1) B. Ab. 107. Weil. ann. 502.

2) Sur. 2, 190.

3) Sur. 9, 17.

4) B. v. 3 quidem anno 6, sed v. 2 anno 7 reuelatum esse vult.

5) Gal. (Mar. S.) B.

6) يجرمنكم سنن قوم quae dicendi formula non est, nisi in v. 11 et 3 huius Sûrae.

7) K. p. 79 sq.

8) B. Ab. 23.

9) Mar. S.

10) Jura juranda refero ad vota, quae fecerint (v. 89), plane ut 66, 2.

11) Itaque eodem tempore, quo versus sequentes, editi esse possunt.

12) Sed Surâqa post expugnationem demum Muslimus factus est. Weil M. ann. 99.

13) K. 79.

rum accurata melius explicaretur. Ceteris Sûrae partibus agitur de Judaeis et Christianis ¹⁾; ex quibus eas, quibus Judaeos impugnat, anno 7 priores habeo, quo, Chaibareusibus victis, Judaei potentes M. hostes esse destiterunt. V. 15 — 22 revelati sint oportet, postquam saepius a Judaeis deceptus erat ²⁾. Verba »indulge iis et condona« (v. 16) fortasse ad Chaibarenses referendi sunt, quos e terra non expulit ³⁾; v. 23—29 ⁴⁾ cum bis conjungendi sunt; v. 30 — 36 cohaerent cum v. 37 sq., qui, quum prophetae hostes e terrae expelli dicantur, vix ante Nadîrensium exactio- nem revelati sunt; v. 39—41 fortasse aequales sunt ⁵⁾. V. 45—55, si quid veri est in iis, quae B. (ad v. 45) narrat, antequam Quraiʒani foe- dus violaverant, compositi sunt. V. 56—61, quibuscum conjungo 63 sq., Ibn Hishâm ⁶⁾, ut videtur recte, patefactos esse dicit, quum Qainuqâensi- bus auctore ʿAbd Allâh ibn Ubai vita concessa esset. V. 64—73 reve- lati sunt, jam compluribus bellis cum Judaeis gestis ⁷⁾. Itaque non recte Finhâs ibn ʿAzûrâ ⁸⁾ impie dictum, quod commemoratur v. 69, attribuunt, quum hic fuerit Qainuqâensis. Cum bis jungas v. 74—80, qui aequa- les videntur esse versibus 81—87, quos recte Weilius ante bellum cum Graecis gestum revelatos habet ⁹⁾, quanvis promulgati sint, quum jam saepius cum Judaeis pugnasset. Sed qui sint Christiani ¹⁰⁾, de quibus v. 86 agitur, nec per se perspicuum est, nec ex iis, quae interpretes affe- ruunt, colligere possumus. V. 108 sqq. Sur. 3, 30 sqq., quorum verba hic repetuntur, posteriores sunt, etiamsi non magno temporis spatio distent.

1) اهل الكتاب, quod alibi solos Judaeos significare solet, in hac Sûra etiam ad Christianos perlinet.

2) Maxime Quraiʒanos significari censeo.

3) Ab. 81. Weil. M. 186.

4) Non magna fides habenda est iis, qui v. 27 jam ante pugnam Bedrensem a Muslimis pronuntiatum esse volunt. Reinaud monum. Musulm. I, 209. Nav. 576.

5) Cfr. نَقَبِل v. 40 et ter v. 30.

6) Cfr. Weil. M. ann. 159; etiam B. ad v. 57.

7) Altera B. explicatio, ex qua hic significantur bella, veteribus temporibus gesta, nihili est.

8) Quem jam supra commemoravimus.

9) K. 80.

10) Num forte sunt Christiani, qui anno 7 cum exsulibus, ex Aethiopia reversis, Medinam venerunt? (cfr. v. Hammer Wien. Jahrb. 69, 48).

PARS POSTERIOR. DE QORANI COLLECTIONE ET COMPOSITIONE.

Muhammede mortuo non multum aberat, quin omnes Q. partes dispergerentur, corrumperentur, denique perirent. Quod quomodo primorum Chalifarum cura prohibitum sit, non facile est perspectu, quum Muslimorum superstitione haec omnia lateant occultata, vix ut vera ex falsis eligere et cum iis, quae ex ipso Q., fonte liquidissimo, sed non largo, intelligimus, conferre possimus.

Primus, qui Q. colligendum curavit, est Abū Bekr. De qua re Muslimi Sunnitae haec tradunt¹⁾: Pugna, qua anno II Musailima victus esset, permultos lectores²⁾ occisos esse, ita ut 'Omar, timens, ne Q. interiret, Abū Bekro suaderet, ut Q. colligeret; utrumque Zaid ibn Tābit, qui M. scriba fuisset, hoc mandasse; quem initio aliquamdiu cunctatum, id facere, quod propheta non ipse jussisset, tandem rem, qua montem loco movere non difficilior fuisset, suscepisse, Q.que collegisse ex scudulis, scapulis, costis, palmarum foliis, lapidibus amplis, hominum cordibus. Nam eum totum quidem Q. memoriter complexum esse³⁾, sed eum omnes lectiones vel 7 dialectos conquisivisse. Ultimo loco eum Sūrae 9 versus 129 sq. invenisse⁴⁾. Has Q. partes eum ita ordinasse, ut M. hoc fieri jussisset, tum Abū Bekro dedisse; quo mortuo 'Omarem eas accepisse, Hafsaëque filiae, M. viduae, dedisse.

Shīitae autem primum 'Alium Q. collegisse tradunt⁵⁾. Ex quibus sunt, qui eum ante M. mortem hoc fecisse ferant; alii post hanc illi rei eum operam dedisse narrant; quo factum esse, ut Chalifae munus petere negligeret⁶⁾. Neque ejus Q. ab Abū Bekro collatum esse. Sed in his nihil veri inest. Shīitae enim, 'Alio, quidquid bonum et sanctum putant, ascribentes, ejus dignitatem non plenam fore credunt, nisi dei oracula,

1) Uberrima et optima est narratio, ipsi Zaido attributa, quae est Mem. L, 421 sqq.: Mishk. I, 523 sq. Cfr. Not. et extr. 8, 343 sq. Mem. L, 332 ann. 173. Abulf. (Rske) I, 212. Ockley hist. of the Sūrae I, 117 sq. Mar. de Aleor. 38 sq. Weil. M. 348.

2) $\frac{1}{2}$, ii, qui Q. partes, a M. acceptas, memoria tenebant, vel litteris mandatas custodiebant.

3) Sunt, qui eum totum Q. jam M. vivente collegisse tradant: qua re magnam ejus scientiam explicare student (not. et extr. 8, 305).

4) Hoc non recte intelligens aliquis putasse videtur, hos versus ultimos esse, quos M. acceperit.

5) Jour. as 1843. Dec. 386.

6) Weil, Geschichte d. Chalifen I. 5 (qui hoc certe a Shī ita accepit).

quamvis non accepisset, tamen collegisset, posterisque tradidisset. Haec igitur omittentes, ea spectemus, quae ceteri tradunt. Quae ut diiudicemus, primum quaerendum est, quae fuerint ea, quae Zaidus congesserit. Facile patet, eum id egisse, ut quaecunque M. oracula invenire posset, conscriberet. Nam jam supra diximus, 7 dialectos nihil aliud esse, quam diversas eorundem oraculorum formas, a M. demptis aut additis aut mutatis nonnullis verbis vel versibus effectas. Sed ad has accedit alia diversitas. Nam quum scribendi ars tum nondum pervulgata esset, et quum apta scribendi materia egerent, plerique Q. lectores, quorum numerus, quamvis per se non parvus, tamen, si universam Muslimorum multitudinem spectas, exiguus erat, Q. partes non litteris sed memoriae mandaverant; ceteri autem eas tantum partes memoria tenebant, quibus saepe utebantur¹⁾. Sed fieri non poterat, quin ipsi lectores, quae memoriae nostrae est infirmitas, ea, quae a propheta acceperant, in dies magis mutarent. Ex horum numero etiam Zaidus erat, qui tamen minime, ut Muslimi dicunt, totum Q. nosse poterat. Zaidus igitur maxime id egit, ut, quidquid Q. litteris consignatum esset, acciperet, si quam veram lectionis varietatem (nam solas scribendi et pronuntiandi discrepantias nihil curabat)²⁾ invenisset, eam conscriberet et cum iis, quae ab aliis audiverat, vel ipse edidicerat, compararet. Sed fundamentum Q. Zaidiaui erat in exemplaribus *scriptis*³⁾; qui dubitare licet, num omnino oracula in Q. receperit, quae non perscripta fuerint. Neque variarum lectionum numerus permagnus erat. Nam, M. modo mortuo, memoriae infirmitate et scribendi errore multa menda vix aderant; et, ne nimius esset numerus oraculorum, contrarie dictorum, propheta ipse providerat, ea, quae mutaverat, Muslimos oblivisci iubens. Quo factum est, ut multa oracula essent, quae Zaidus accipere non posset, quanquam sine dubio etiam non pauca conscripsit, quae, in scio M., a Muslimis custodita erant. Sed contra etiam ex iis, quae M. non abrogaverat, nonnulla errore omissa esse, e versu, quem lapidationis vocant, postea in leges, sed non in Q. recepto, vidimus. Multa praeterea Zaidus accepit, quae manca erant; quod non modo e nostro Q. apparet, sed etiam per se a verisimilitudine non abhorret. Nam plerisque ex optimis lectoribus, qui simul ardentissimi Islami pro-

1) Ut Sur. 1 et Sur. 112.

2) Ut etiam in nostro Q. videmus, ubi modo legitur *تخشاه*; *يدعو*; *يدع*,
et *تخشيه* etc.

3) Hoc etiam eo indicatur, quod in optimis quidem narrationibus e Q. fontibus, quos dicas, ultimo loco enumerantur hominum corda.

pugnatores erant, in illa pugna mortuis, aliis per totam Arabiam dispersis, ita ut Zaidum adjuvare non possent, quum Sûrarum exemplaria non multa et sine dubio, scripta ab hominibus indoctis litteris valde imperfectis, saepe difficillima essent lectu¹⁾, non mirum est, nonnulla oracula periisse. Sed alia quaestio est, num quid a Zaido additum sit. Primus de Sacy²⁾ suspicatus est, Abû Bekrum hoc fecisse: quam conjecturam probavit argumentisque defendere studuit Weilius³⁾. Narrant enim Muslimi, M. mortuo, 'Omarem ejus mortem credere noluisse, omnesque cohortatum esse, ut secum consentirent, donec Abû Bekr iis aut Sur. 3, 138 aut Sur. 39, 31 sq, et 3, 138 legisset, quo M. mors praedicta esset. Sed omnibus fuisse, quasi hos nunquam audivissent⁴⁾. Quo effici putant, Abû Bekrum illos supposuisse, praesertim quum compluribus aliis Q. locis M., se moriturum esse, concedat. Etiam eo hoc verisimilius fieri, quod Abû Huraira, qui optime Q. cognoverit, hunc versum se nunquam audisse ferat. M. enim ultima quidem vitae aetate a Muslimis mortalem haberi noluisse. — Sed qui hoc cogitari potest? Quo consilio M. qui sine dubio ipse, se diem supremum obiturum esse, sciebat, Muslimos hoc celasse putandus est? Nonne praevidere poterat, fieri posse, ut totus Islâmus extingueretur, propheta, quem immortalem haberent, ceterorum modo mortuo⁵⁾. Sed huic sententiae etiam ipsius M. verba obstant. An omnes versus, quibus se, ceteris similem esse, se esse بشر⁶⁾ b. e. praeditum natura humana, fragili, dicit, suppositos habebimus? Quo accedit, quod omnes loci quos Weilius affert⁷⁾, ad quos adde Sur. 16, 40, aut artis-

1) Non magna fides habenda est iis, qui, M. magnae curae fuisse, tradunt, ut oracula bene et perspicue scriberentur, ipsumque scribae praecepta dedisse (Not. et extr. 8, 356). Hoc fictum videtur esse ab aliquo homine, qui impedire vellet, quo minus Q. negligentius scriberetur. Praeterea Mu'âvijae auctoritas, qua hoc nititur, non magna est, ita ut a nonnullis Muslimis plane rejiciatur (a Shafi'io cfr. Abulf. (Rske) 1, 366).

2) Journ. des Savans 1832, 536.

3) M. 350 sq. K. 43.

4) Tabarî (Kosegarten) I, 4 et 6 (3 narrationes paulum diversae), Shahrastani I, 11, Weil. M. 332 sq.

5) Multo igitur verisimilius est, Arabes, imprimis 'Omarem, virum fervidioris ingenii, prophetae morte, non exspectata, ita perturbatos esse, ut eum mortuum esse non crederent, ita ut vix Qorani loco, quem plurimi omnino ignorasse videntur (nam omnes versus, quibus M. mortalis dicitur aut Mekkani aut 3 anno post Fugam revelati sunt; itaque Abu Huraira, qui 7 demum anno Muslimus factus est (Ggn. II, 65) facile eos ignorasse potest) illa iis persuaderetur.

6) Ut 18, 111; 41, 5 etc.

7) 3, 138, 182; 29, 57; 21, 35 sq.; 39, 31.

sime cum ceteris versibus cohaerent, aut facile cum iis, cum antecedentibus quidem vel sequentibus, conjungi pōssunt. Nec ullus horum versuum dicendi ratione ab iis, quibuscum connexus est, differt; ideoque Sur. 21, 35 sq. ob priorem Sūrae aetatem breviores sunt. Ceterum explicari non potest, qui Abū Bekr tot versus in Q. inseruerit, omnibus ignotos, nemine se opponente. Denique Abū Bekrum, fidelissimum M. amicum et assectatorem, minime tantum scelus facturum fuisse puto, quo magis nefarium M. sibi notum esse negarat¹⁾, et quo factum esse dixerat, ut Judaei dei iram concitassent²⁾. Quo vero consilio hoc fecisse putandus est? Quid? si, M. mortuum esse, Muslimis sola Q. auctoritate probatum iri, censens, oraculum finxisset, nonne verisimilius est, eum potius unum versum vel duos versus confecturum fuisse, quam ut pluribus suspiciouem moueret? Ubi ista calliditas, qua Weilius Abū Bekrum, hominem probum et cautum, adactum fuisse dicit, ut tali fraude in magnum periculum se inferret? Si vero per Q. suo commodo providere voluisset, facilius versum inseruisset, quo sibi Chalifae munus deberi indicasset. Qualem in Q. non inveniri, optimo signo est, eum ab illo interpolatum non esse. Sed tamen Weilius³⁾ Abū Bekrum etiam versum supposuisse censet, quo ipse homo pius dicatur. Nam Sur. 46, 14 Muslimi, nisi fallor recte, eum significari tradunt. Sed si hic versus, vel posterior quidem ejus pars, quae Weilli est sententia, suppositus esset, etiam versus inferiores, praecipue v. 16 suppositicii essent, quum, hunc cum illo connexum esse, nemo non intelligat. Sed, si v. 14 de Abū Bekro agitur, v. 16 *Abd Arrahmān, Abū Bekri filius*, significatur, qui aliquamdiu idololatriam deserere recusavit⁴⁾. Num igitur hunc versum fictum dicemus a patre, ut filium palam gravissime reprehenderet? Nonne autem M., ut inimicos vituperabat, ita amicissimum adiutorem semel, ne nomine quidem addito, laudare potuit? Praeterea Abū Bekr, si sui emolumentum causa hunc versum inseruisset, non tam obscure locutus esset, ut sine explicatione vix posset intelligi, de quo ageretur, sed perspicue se laudavisset, ut hunc unum M. successione dignissimum esse cognoscerent. Praeter hos etiam Sur. 17, 1 Weilius, M. attribuendum esse negat. Nunquam enim, ait ille, M. contendisse, se iter nocturnum re vera fecisse; versum perobscurum, cum sequentibus non cohaerentem, peccatis grammaticis non liberum, fortasse a Muslimo quodam conscriptum et jam Abū Bekri tempore

1) 6, 39; 2, 72.

2) 4, 48; 5, 16, 45.

3) K. 67.

4) Cfr. Sale.

ad Q. additum esse ¹⁾. Sed contra haec multa dici possunt. Primum ejus argumentum minime firmum est. Nam etiamsi Weillio concedimus, M. iter Hierosolymitanum visum, non rem, revera gestam, habuisse, tamen, ut Gabrielem se vidisse narrat ²⁾, ita etiam haec verba pronuntiare potuit ³⁾. Nec cetera ejus argumenta vera videntur. Versus ei, qui nescit, de qua re agatur, obscurus est; sed quot versus obscuriores sunt! Non cohaeret cum v. 2; sed hac re efficitur, eum suppositum esse? Denique linguae menda ego quidem invenire non potui, — nam اسرى نبلا, quo quidem jam nonnulli grammatici offensi sunt, mendum haberi non potest — nec video, qui factum esse possit, ut Arabs illius aetatis magis vitiose diceret, quam M., qui cum omnibus popularibus litterarum expertus erat. Praeterea num probabile est, Muslimum, Q. imitaturum, ita ut etiam adderet verba, quibus saepissime sententiarum conclusio et rhythmus finalis efficitur, usum esse obscuro dicendi genere, quod in oraculo, sed non in hominis opere excusatur; nec prophetam significasse verbo رسوله, seu عبده? Nec explicari potest error, quo factum sit, ut hic versus in Q. receptus sit. Nam consulto Abû Bekrum hoc fecisse, neminem contendere puto.

Sed praeterea in Q. una est Sûra, quae, quanquam a nullo nostratum palam in suspicionem vocata est, tamen ob complures res facile supposita esse putari potest. Etenim Sûra 12 ab omnibus Sûris longioribus argumento diversa est, quum paene tota efficiatur una narratione. Quo accedit, quod a nonnullis Chârîgîtarum (خواريج) sectis, ut a Maimûnitis et 'Aqârîditis non divina habetur ⁴⁾.

Attamen his causis effici non potest, ut eam a M. confectam esse negemus. Primum, quo adducamur ad nostram sententiam, est, quod etiam aliarum Sûrarum, ut Sur. 20, quamvis non omnes, tamen permulti versus in unius hominis vita explicanda continentur, ita ut mirari non possimus, M. in una Sûra latius hoc extendisse, praesertim quum ea re, qua M. ad eam edendam commotus esse traditur, hoc explicetur. Nam M., ut jam supra diximus, eam nonnullis Medînensibus tradidit, qua cives in suam sententiam traherent. Neque mirum est, quod hoc ita efficere studuit, quum vividos Arabum animos, narrationum amantes, optime nosset ⁵⁾. Summi autem momenti hoc est, quod M. praecipue spectavit ad Judaeos ⁶⁾, quibus itaque dedit vitam hominis, ab antiquissimis tempori-

1) K. 65 sq.

2) Sur. 81; 53.

3) Alteram explicandi rationem, quam Weilius K. 66 an. 1 proponit, probare non possumus.

4) Shahrîstânî ed. Cureton p. 95 sq.

5) Cfr. quae de hujus Surae consilio et loquendi ratione disputat Weil. M. p. 380.

6) M. hanc Sur. ad Judaeos direxisse, videmus etiam e verbis Muslimi apud Mar. p. 360.

bus apud ipsos in summo honore habiti, compositam e more illorum, qui breves sanctorum librorum narrationes multis rebus additis valde amplificabant. Ceterum si omnes Sûras, argumento vel dicendi genere a ceteris diversas rejicere vellemus, etiam Sur. 18, Sur. 27 compluresque alias vel totas, vel ex parte suppositas esse, dicere deberemus. Quod fieri non posse, facile est intellectu.

Cave autem, ne illarum sectarum sententiae nimium tribuas. Nam hoc non est, nisi unum e miris dogmatibus, quae plurima habent omnes Chârigitae. Nulla enim causa, a primo Islâmi tempore ad posteros perlata, sed ea tantum re commoventur, quod vulgarem narrationem (قصة من انقص) vel narrationem amoris (قصة العشق¹⁾) Deo indignam habent. Quae sententia per se quidem non rejicienda, tamen ad nostram rem nihil valet.

Sed etiam aliae res sunt, quibus suspicio ab hac Sûra removeatur. Nam totius Sûrae indoles ea est, ut a M. pronunciata sit oporteat. Primis enim versibus Deus prophetae dicit, se ei hanc Sûram inspirasse²⁾, et plurimis locis viri, de quibus agitur, plane, ut in multis aliis Sûris, M. doctrinam explicantes finguntur³⁾. At praecipue non modo dicendi genus quum singulis verbis, tum versuum finibus ceterarum simile est, sed etiam tota dispositio, qua primi et ultimi versus non ad ipsam narrationem pertinent, quanquam quodammodo ad eam spectant⁴⁾, cum M. ratione congruit. Hoc igitur certum est, Sûrae scriptorem voluisse, ut eam a M. revelatam in Q. recipiendam crederent, ita ut sola incititia contra auctoris voluntatem a Muslimis sancti libri pars putata esse non possit. Nihil igitur restat, quam ut aut a Muslimo quodam — nam si Judaeus vel Christianus eam confecisset, nec ceteris tam similis, nec unquam in Q. recepta esset — aut, inquam, a Muslimo supposita, aut ab ipso M. dicta esse censeatur. Quorum illud quum nulla re verisimile fiat, nec ullo Sûrae loco quicquam conspiciatur, quo sententia, ad regnum vel ad religionem pertinens, in vero Q. non pronunciata, exponatur — quae sola causa esse potuit, qua Muslimus ad hanc rem adduceretur⁵⁾ — non est, quod hanc Sûram recte in M. oraculis haberi negemus.

1) Cfr. Shahristani p. 95. Ceterum spectare videntur jam ad longas narrationes amoris Jûsufi et Zulaichae, postea ex Sur. 12 ortas.

2) V. 3. Cfr. versus ultimos.

3) V. 37 sqq.; v. 67; v. 88 etc.

4) Cfr. v. 103 (cum quo compares 11, 51; 28, 44 etc.); v. 111.

5) Cfr. Sûram infra tractandam, cujus auctor quid petat, e quoque versu conspiciamus.

Quae quum ita sint, Zaidus nihil ad Q. addidisse videtur. Sed tamen tantum abest, ut vera sit opinio eorum, qui Q. incolumem esse tradunt¹⁾, ut Abû Bekri Q. magis indigesta moles, quam bonum omnium M. oraculorum corpus fuerit. Nam quum argumentorum ratione habita digeri non posset, sola recta Sûrarum series ea erat, quae temporis ordinem sequeretur. Sed Zaidus omnia oracula promiscue conscripsit. Quum vero hujus Q. descriptio non exstet, accurate dicere uou possumus, quomodo Zaidus singulas partes disposuerit. Sed verisimillimum est, uiuersum ejus ordinem ei, qui nunc est, similem fuisse. Exemplaria, quibus usus erat, multa quidem bona erant, ita ut singulas Sûras continerent; sed alia sine dubio manca aut confusa erant. Illic enim nonnullas tantum Q. sententias litteris consignauerat; ille complures Sûras vel Sûrarum partes in unam tabulam scripserat. Zaidus initio Sûraꝝ perlongas efficere uoluisse videtur, ita ut, praeposita Sûra 1, omnium praestantissima, Sûram 2 e plurimis diversis partibus componeret; quarum tamen plures, si non omnes, jam in ejus exemplaribus conjunctae fuisse videntur. Sed etiam alias Sûras superiores longiores fecit; quum quo breuior erat Sûra in exemplaribus, eo inferiorem ei locum daret, sed ne in hac quidem re sibi constans. Si quae pars breuior erat, eam cum majore componere, nou veritus est²⁾. Quomodo lectionis varietatem indicaverit, non perspicuum est. Verisimile est, eum cujusque loci diuersam formam separatim conscripsisse. Singulis Sûris praetexuit بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ, quae uerba illo tempore jam usitatissima fuisse videntur.

Q., ita compositum, Zaidus Abû Bekro dedit, qui eum munivit duabus tabulis, quae ejus tegumenta essent³⁾.

Diu hic Q. jacebat. Interea Muslimis per multas terras longe lateque proferentibus arma uictoria Q. partes, quas lectores habebant, in dies magis diuersae fiebant; in singulis autem terris erant singuli M. socii, quorum auctoritatem ob insignem Q. scientiam ceteri sequebantur. Ita Irâqenses sequebantur Abû Mûsâ, Syri Miqdâdum⁴⁾. Quae rerum conditio Islâmo, cujus fundamentum est Q., periculosissima erat. Quapropter tandem Oîmânus Chalifa Q. unum reddendum curauit. Quam rem ita

1) Cfr. Mem. L, 335 et 413.

2) Ut, se ultimos versus Surae 9 ad hanc addidisse, ipse narrat.

3) Contra eos, qui jam M. his duobus tabulis usum esse dicunt, jam supra (p. 22) diximus. Cfr. antiquum illud رَحِمَ اللَّهُ أَبَ بَكْرٍ عَوْنًا مِنْ جَمْعِ بَيْنِ اللُّوْحَيْنِ (Mem. L, 312).

4) Abulf. (Rske) 1, 204.

fuisse tradunt Muslimi orthodoxi ¹⁾: Anno 30 in bello Armenio convenisse exercitus Syriacum et Irāqensem; quibus de vera Q. legendi ratione disputantibus, Hūdāifam ²⁾, veritum ue tales controversiae magis concitarentur, 'Oīmāno suasisse, ut hoc impediret. Quod approbantem cum multis aliis 'Oīmānum Zaidum, cui adjuutores dedisset 'Abd Allāh ibn Zubair, Sa'īd ibn Afās, 'Abd Arrahmān ibn Alhārīt ibn Hishām ³⁾ Quraishitas, ideoque linguae Quraishiticae gnarissimos, unum Q. efficere jussisse. Quos, ceteris Q. exemplaribus collatis, Q. Abū Bekri secutos esse, ita tamen, ut lectionis varietatem omitterent, ubique praelata dialecto Quraishitica. Hoc Q. perfecto, ceteros omnes combustos esse praeter Q. Abū Bekri, quem Hafsaē reddidissent. 'Oīmānum autem compluria sui Q. exemplaria in diversas regni provincias misisse, quae ceteri sequerentur. Non multo post etiam Hafsaē Q. a Marvāno, Medinae procuratore, combustum esse. Itaque omnes 'Oīmāni Q. accepisse.

Sine dubio 'Oīmānus, Q. colligens, maxime id egit, ut e diversis divinae legis formis ea, quam ipse effecisset, ab omnibus recepta, factiones extinguerentur, quum toti imperio, tum sibi perniciosae. Quod consilium ut perficeret, iis hoc mandavit, qui sibi addicti essent nec nimis diversas Q. formas servare studerent. Hi secuti sunt formam Q. ante collecti, quanquam cavendum est, ne nimis anxie eos illam imitatos esse putemus. Cetera enim exemplaria praecipue quidem collecta sunt, ut delerentur, sed tamen verisimile est, eos, si quid invenerint, in illa forma omissum, non dubitasse, id ad eam addere. Quum vero hoc gravissimum esset, ut Q. unus fieret, omiserunt omnem lectionis varietatem, quam falsissime Muslimi veram et divinam habent ⁴⁾, 'Oīmāni Q. ita esse censentes, ut Gabriel ultimo loco Q. legerit ⁵⁾. Neque credendum est, hoc iis magnae curae fuisse, ut vera lingua Quraishitica uterentur ⁶⁾. Quod ne exem-

1) Mem. L, 426 sqq. Not. et extr. 8. 304 sq. Mishk. I, 525. Abulf. (Rske) I, 204. Mar. I. c. Ockley. I. c.

2) Quem omnino cautum et periculis providum fuisse tradunt; nam eum M., dum vixisset, non res bonas sed malas interrogasse, quo melius eas averteret. Nav. 200 sq.

3) Ad hos Mem. I, 427 additur Ubai, qui sine dubio est Ubai ibn Ka'b, lector doctissimus (Nav. 140 sqq.), qui tamen ab aliis 'Oīmāni Q. non probasse fertur (J. as. I. c. p. 382).

4) Mem. L, 426.

5) Mar. de Alcor. 40. Mishk. I, 495.

6) Weil. K. 50. Haec dicta sunt, ne majorem in Q. diversitatem fuisse, concederent; ceterum ea accommodata sunt ad morem Muslimorum posteriorum, de talibus minutis grammaticis multum disputantibus.

plis quidem, quae afferunt, efficitur¹⁾. Quam parvam orthographiae et grammaticae rationem habuerint ex ipsorum Muslimorum narrationibus intelligitur²⁾. Quanquam ea, quae afferunt, magis insolita atque obsoleta, quam falsa sunt³⁾. Sed quanquam Q. unam formam efficere voluerunt, tamen vehementer dubito, num *consullo* oracula, quae a M. promulgata esse sciverint, omiserint. At Shi'itae hoc affirmant, quum dicant, 'Oīmānum 'Alīi Q. non contulisse⁴⁾. Eum autem omisisse et corrupisse complures Q. locos, praecipue eos, quibus de 'Alīo ejusque successoribus (الائمة) ageretur. Sed quis est, quin intelligat, si M. semel tantum 'Alium suum successorem nominasset, neminem alium Chalīfam creaturum fuisse, et, si priui Chalīfae efficere potuissent, ut tot versus Muslimis noli non fierent, certe 'Alium his omnes hostes fracturum fuisse, postquam ipse Chalīfa factus esset. Huc accedit, quod in iis quidem Shi'itarum lectionibus, quas Kazem Beg assert⁵⁾ nihil veri inest, quum plerumque nomen 'Alīi vel Imāmorum addat ad versus, quibus prorsus alia sententia subjecta est. Adde, quod ipsi Shi'itae 'Oīmāni Q. utuntur eumque divium habent, quum ultimum demum Imāmum Almahdī Alqāim ἐν παρολίᾳ integrum Q. restitutum credant⁶⁾. Sed etiam totas Sūras 'Oīmānum omisisse putant, quarum una mirum in modum servata sit. Hanc Sūram, antea Europaeis incognitam, primus edidit G. de Tassy⁷⁾, postea, vocalibus aliisque legendi notis instructam, vulgavit Kazem Beg⁸⁾, qui hanc Sūram recte languidum opus, Q. imitando a fanatico aliquo Shi'ita effectum appellat. Quam suppositam esse, compluribus argumentis ostendi potest. Primum est id, quod jam supra commemoravimus, minime verisi-

1) Ita disceptasse dicuntur, utrum تَابُوَة, an تَابِرَت scriberent. Hoc ab 'Oīmāno vere Quraishiticum dictum esse. Sed etiam nunc utraque lectio exstat, ut etiam ceterae, quae afferuntur mem. L, 427 sq. Cfr. B. Illa narratio de تَابُوَة est etiam in libro de haeresi Heraclii (in Q. Bibliandri), ubi (p. 9 sqq.) confuse hae res tractantur. Eos disceptasse dicit scriptor scriberentne „arcam“ (تَابُوَة), an „arcum“ an „arcem“.

2) Not. et extr. 8, 301 sq.

3) Pro وَأَنَّ هَذَان (20, 66) scribe وَأَنَّ هَذَان. cfr. B. Ceterum hanc narrationem fortasse eorum gratia referunt, qui imperfectam scribendi rationem additis litteris و و ي mutabant. (Cfr. not. et extr. 8, 323 sqq.).

4) 'Oīmānum aliquid addidisse, ne hi quidem dicunt. Jour. as. I. c. 406.

5) Ibid. 407 sqq.

6) Ibid. p. 399 et 402 sq.

7) Jour. as. 1842 Mai.

8) Ibid. 1843 Dec.

mile esse, M. unquam 'Alium successorem creasse¹⁾, nedum in Q., praesertim quum ille nunquam hac summa auctoritate usus sit. Tum in hac Súra commemorantur res, post M. mortem demum gestae. Nam praedicat, 'Alium²⁾ ejusque posteros »prophetae progeniem«³⁾ ab impiis gravissimis injuriis affectum iri; quin Mu'ávijae »Imámi improborum« mentio fit⁴⁾. Neque cum simplici M. doctrina congruit mysticum illud dogma, quo 'Alius mira ratione cum propheta conjunctus esse dicitur⁵⁾. Sic etiam cetera, quibus 'Alius prophetae par habetur, quum uterque dicatur lux⁶⁾, ceteris signa dei legens gravemque poenam minans, non cum Q. consentiunt, quo hoc prophetae, non ceterorum jus habetur. Praeterea ne hoc quidem negligendum est, hanc Súra, exceptis iis, quae ad 'Alium referuntur, ex locis Q., undique congestis, compositum esse. Quanquam enim Kazem Beg huic rei nimium attribuit, ut recte dicit G. de Tassy⁷⁾, tamen Súrae subjector, in quoque versu de 'Alio agere nolens, sed M. more res variaturus, inepte diversa Q. verba composuit. Hoc tamen concedere debemus, praeter verba, 'Alium significantia, perpauca inveniri, quae non etiam in Q. ponantur⁸⁾. Denique etiam ex alia re, eam a M. non confectam esse, videmus; nam versibus plerumque brevioribus et praecepto, ut propheta patiens sit injuriarum, haec Súra Mekkanis, aliis, ut verbis »o qui creditis!« »o propheta!« et toto argumento, quod Medinae tantum M. cordi esse poterat, quum Mekkae non haberet imperium, post suam mortem atii tradendum, Mediuensibus similis est, ita ut, eam nec Mekkae, nec Medinae revelatam esse, cognoscamus.

1) In hac Súra 'Alius prophetae رَضِيَ dicitur, ut saepissime apud Shi'itas.

2) P. 415 lin. 6; 417, 6.

3) 417, 7; 419, 12.

4) 417, 8.

5) Hanc enim sententiam verbis نُورَانِ بَعْضُهُمَا مِنْ بَعْضٍ esse, recte dixerunt

Kazem Beg et Weilius, (qui hanc Súra in nostram linguam convertit K. 82 sqq.). De mystica 'Alii et M. conjunctione cfr. Reinaud, monum. II, 151.

6) Nomen نُورَانِ, significans 'Alium et M., Kazem Beg (p. 424) ante saeculum 7 Fugae non inveniri dicit.

7) Ibid. 429.

8) Vox نُور (415, 8) a Q. aliena est, quod vix casu factum est, quum hujus versus sententia saepissime in Q. exprimitur (nam varia lectio مَنْوَر (24, 35) pro نُور nihil est): أَحَدٌ, quod saepius ponitur, in Q. non est

Post hanc Sûram, quae igitur sine dubio supposita est, v. Hammer¹ 2 alias Sûras edidit, quas scriptorem, quem sequitur, in Q. codice manuscripto invenisse dicit; quas servato rh. fin., hic ex Arabico versas afferre liceat:

Sûra deserendi.

Nomine etc.

O deus! te auxilium veniamque rogamus
Et laudamus te nec tibi non obtemperamus,
Ita ut tibi non parentes prorsus descramus!

Sûra contendendi.

Nomine etc.

O deus! te veneramur²,
Teque colimus et precamur
Et contendimus, ut te assequamur,
Sperantes praemium tuum
Et timentes supplicium tuum:
Hoc enim impios est amplexurum!

Etiam has Sûras M. attribuendas esse nego. Nam in paucis his versibus nulla verba inveniuntur, quibus M. aut omnino non, aut aliter utitur: verbum انجى, quo alii frequenter utuntur, non est in Q., quae res casu facta esse non potest, quum res ipsa saepissime commemoretur³); vox حقد in nullo Q. versu legitur; كفر, quod verbum vix ab ulla Q. pagina deest, in eo conjungitur cum ب praepositione, hic cum Accusativo; حنجر in Q. non cum Accusativo personae conjungitur; خنوع, quod verbum uno tantum Q. loco est⁴), non habet sententiam translatam.

Etiam اللهم, in utriusque Sûrae principio positum, singulare est. Nec cum Q. congruit tota Sûrae forma. Quanquam enim etiam in Sûra 1 deus appellatur, tamen M. praeter hanc, quam omnibus Muslimis precum formae esse voluit, nullam aliam promulgasse putandus est, quae non dei verbis effecta sit. Quae quum ita sint, illas, quae, etiamsi a M. confectae essent, errore, non fraude ab Ommano omissae essent, — nihil enim in iis inest, quod non ejus, ut ceterorum omnium Muslimorum, sententiae consentaneum sit nescio quando, a Muslimo quodam con-

1) Geschichte der Arab. Litter. I, 576.

2) Sic pro تعبدك et ob rh. fin., et ob grammaticorum leges (Ewald. Gramm. Arab. II, 175 §. 674) legendum est تعبد.

3) M. utitur verbis كبر سرح etc.

4) 20, 12 ذاخلع نعليك.

fectas esse puto, non ut Q. oracula supponeret, vel ut omnino hunc imitaretur, sed ut piae mentis cogitata exprimeret. Quae precationis carmina, quum in Q. suo poneret, ab alio Sūrae habita sunt¹⁾.

Sed etiam Weilius, 'Oīmānum Q. partes omisisse, putat, iis locis amputatis, quibus M. priore prophetiae tempore Umajadas vehementius impugnavisset²⁾. Sed hoc minime ostendit. An dicere possumus, num etiam nunc M. in illos invehatur, annon? Vix enim falso interpretes inter eos, quos M. multis Q. locis impugnet, etiam Abū Sufjānum enumerant³⁾. Sed hi versus, quum M. ubique nomina taceret, non intellecti sunt, nisi tempore, quo eos promulgavit. Quare quadraginta annis post posteriori et amici eorum, in quos invecus erat, hos versus legere poterant, quis significaretur, nescientes. »Sed fortasse eos nomine appellarat, quae 'Oīmānus exstinguenda curavit.« Quid est, quod hoc de iis magis factum esse putemus, quam de Abū Galil aliisque Quraishitis, M. illis inimicioribus vel de Judaeorum et Simulatorum principibus? praesertim quum ne amicos quidem nomine appellet, quod ut faceret, paucioribus causis impellebatur⁴⁾. Neque, multa omissa esse, probatur iis, quae rerum novarum studiosi dixisse feruntur⁵⁾: »Q. fuisse libros, 'Oīmānum librum reliquisse.« Quodsi ita, ut Weilius, haec verba interpretaris, facere non potes, quin, ex compluribus unam partem relictam esse, censeas, ita ut 'Otmāni Q. tertiam, summum dimidiam partem Q. prioris continuisset. Sed hoc neminem affirmaturum esse spero. At illa verba ex mea quidem sententia hoc significant, ante 'Oīmānum complures Q. legendi rationes fuisse, sed omnes deletas esse, ita ut solius 'Oīmāni Q. superesset. Itaque كُتِبَ hic paene idem est, quod etiam dicitur أُنْفِ. Denique Q. ita corruptum esse, non convenit imbecillo quidem, sed prophetam summa pietate veneranti 'Oīmāni animo, qui eo pietatis processit, ut sua manu compluria Q. exemplaria conscriberet⁶⁾. Postremo hoc quoque nostram sententiam confirmat, omnes Muslimos, quamquam clarissimi lectores, ut

1) Omnino tales precationum formulae non raro in ultima codicum Qoranorum parte inveniuntur.

2) Geschichte d. Chalifen I, 168.

3) Cfr. B. ad Sur. 107 etc.

4) Soli, quos M. nomine appellat, sunt Abū Lahab (111, 1), in quem, quum primum ejus conatum irritum faceret majorem, quam in ullum alium, iracundiam exercuit, et Zaidus ipsi carissimus (33, 37), quem consolari studet, quod prophetae filius amplius vocari non possit. Ceteras Q. partes, etiamsi ob singulas causas editas, tamen omnium communes leges esse voluit, quod consilium nominibus impeditum esset.

5) Weil. Gesch. d. Chalifen I, 68 ann. 1.

6) Jour. as. 1839 Juillet. 41 sqq. Weil. M. p. 412.

Ibn Maš'ūd, quem M. ipse optimum lectorem dixisse tradunt ¹⁾, 'Oṫmāno adversabantur, et quamquam ab his paulo post seditiones concitatae sunt, quas illa re sedare studuerat, tamen 'Oṫmāni Q. accepisse, ne Shī'itis quidem exceptis. Quod nequaquam factum esset, si 'Oṫmānus Q. valde mutasset. Nam et vix omnia Q. exemplaria accepisse potest, et satis multi lectores supererant, qui, si, Q. non integrum esse, intellexissent, ipsi e memoria Q. conscribere ausi essent, praesertim quoniam hi homines et maxime seditionosi, ut e tota horum temporum historia apparet, et summa auctoritate intolerabilique superbia essent.

Zaidus ejusque socii sine dubio Q. in eas 114 Sūras distribuerunt, quae etiam nunc inveniuntur. De quo numero pauci tantum paulum disceptant. In Ibn Maš'ūdis (cujus tamen Q. ad nostrum nullius momenti est) Q. Sūrae 113 et 114 aut non fuisse ²⁾, aut unam fecisse tradunt ³⁾. Shī'itae nonnulli Sur. 93 et 95; 105 et 106 sine causa conjungunt ⁴⁾. De Sur. 8 et 9 non soli hi, sed etiam alii, quin jam Zaidus ejusque socii disceptasse dicuntur. Nam e causis, quas Muslimi omisssae inscriptionis بِسْمِ اللّٰهِ اَنْخِ afferunt, sola haec verisimilis est, eos dissensisse, utrum eas conjungerent, annon, ideoque spatium reliquisset, sed nihil Sūrae 9 inscripsisset ⁵⁾. Praeterea in Q. Bibliandri primae Sūrae aliter distribuuntur; cujus interpretes quoniam exemplaria Hispanica secutus esse dicatur ⁶⁾, initio veram differentiam animadvertere mihi visus sum, sed mox vidi, interpretem saepe finem partium trigesimarum (اِحْرَاء) et sexagesimarum (اِحْرَاب), in quas Q. lectionum publicarum gratia divisus est, Sūrarum finem habuisse ⁷⁾.

Praeterea Q. collectores arcanas illas litteras nonnullis Sūris praeposuisse videntur, quas fortasse invenerunt in exemplaribus, quibus usi sunt. Hae certe a M. ipso ducendae non sunt, quippe qui prudentior fuerit, quam ut talibus litteris, nihil significantibus, Muslimorum animos offenderet, praesertim quoniam paene omnes hae Sūrae Mekkanae sint. Huc

1) Weil. Chalif. I, 168. Jour. as. 1843, 385.

2) Weil. Chalif. I, 169 ann.

3) v. Hammer, Litteraturgesch. I, 576.

4) Jour. as. ibid. 401: Sur. 105 et 106 etiam nonnulli alii conjungunt. Cfr. B. qui dicit Ubaium, lectorem 'Oṫmāni adversarium, hoc fecisse.

5) Sale B. Mishk. I, 502.

6) Cribratario Alcor. 26.

7) Differt quidem haec divisio nonnunquam 1 versu vel 2 versibus a divisione edit. Petrop., sed jam Hinckelmannus, has partes in codicibus non uno modo distributas esse, dicit; in qua sententia uno quidem codice inspecto confirmatus sum.

accedit, quod eadem litterae compluribus Sûris inscriptae sunt, quibus sine dubio diversa est aetas, sed quae in nostro Q. conjunctae sunt, ita ut verisimillimum fiat, has Sûras sumptas esse ex exemplari, in quo solae fuissent et in quo cuique hoc praepositum fuisset ¹⁾. Ceterum, quae vera earum litterarum significatio sit, perobscurum est; ea quidem, quae Muslini excogitarunt, absurda sunt ²⁾. Nec probari possunt scriptorum recentiorum conjecturae ³⁾. De hac re judicare, eo difficilius est quod nescimus utrum iis vera puncta diacritica sint. Nam vix credere licet ea aetate, qua haec adscribebantur illarum significationem notam fuisse. Quare nescimus, num forte pro *عسف* scribendum sit *عشف*, pro *كهتعضن كهبعضن* etc.

Hoc enim certissimum est, primis Qorânis nec vocalium notas, nec signa diacritica fuisse ⁴⁾. Quae res jam ex ingenti multitudine variarum lectionum apparet, quae paene omnes in his notis constant ⁵⁾. Neque versus signo distinctos esse, et inde apparet, quod apud alios doctores alius est numerus versuum, et a scriptoribus Arabicis affirmatur ⁶⁾. De inscriptionibus, quibus indicatur, utrum Sûra Medinensis an Mekkana sit, jam supra egimus ⁷⁾. Denique ne nomina quidem Sûrarum indicata erant ⁸⁾; quo fit, ut librarii diligentes haec non eodem, quo ceteras litteras, colore pingant ⁹⁾. Sed tamen haec nomina ex parte jam antea orta videntur esse, quum Muslini, ut Sûras distinguerent, aut a toto argumento, aut a primo vel ab alio gravi verbo nomen invenirent. Ita etiam nonnullae narrationes verae esse possunt, in quibus M. vel alius quidam oracula nominibus appellasse dicitur ¹⁰⁾; quanquam haec nomina veras Sûras, non

1) Sur. 40—46 ordiuntur a litteris *حم*.

2) B. ad Sur. 2; ad Sur. 20 etc. Mar. passim. Erpenii gramm. ed. Salus p. 181. Reinaud monum. II, 236 sq.

3) Num forte *بسم الله الرحمن الرحيم*; *الم*; *الب*; *حم*; *م*; non sunt nisi notae formulae *بسم الله الرحمن الرحيم*? Cui tamen conjecturae, qua ceterae litterae non explicantur, non multum attribuerim.

4) Cfr. de Sacy mem. L, 318 sqq.

5) Sed minime omnes, quum etiam haud paucae lectiones ad consonantes spectent. Cfr. B. ad 12, 35; 18, 93; 19, 6: 3, 158 etc. etc. At tamen, quae consonantes scribendae sint, collatis antiquissimis codicibus et traditionibus, in Q. facilius cognosci potest, quam in plurimis aliis libris tantae vetustatis.

6) Mem. L. 429.

7) p. 28.

8) Mem. L, 345 ann.

9) Not. et extr. 9, 98. Cfr. Müller, paläogr. Beiträge tab. 3, 4.

10) Cfr. B. ad 9, 25. Weil. L. 233 etc. Neque tamen his annumeranda sunt ea, quae singulas Sûras legentibus M. promississe dicunt: quae praemia in commentariis in cujusque capituli explicatione commemorantur. Haec plerumque ficta esse, vix est, quod neges.

eas, quae nunc sunt, significabant. Sed quum haec non communia essent, neque ipsorum oraculorum partes essent, Zaidus ea omisit. Itaque Sūras non distinxit, nisi inscriptione بِسْمِ اللّٰهِ الرَّحْمٰنِ الرَّحِیْمِ et fortasse lineamento quodam ¹⁾.

Hujus Q. exemplaria omnino paria erant, nisi quae diversitas erat in verbis scribendis ²⁾.

Sed tamen priores Qorāni non omnes deleti videntur esse. Nam unius quidem exemplaris mentio fit, quod 'Otmāni Q. non par erat. Etenim 'Uqba ibi 'Āmir, vir et doctrinae et fortitudinis laude insignis, post 'Otmānum Q. conscripsit, qui erat عَلِيٌّ غِيَاثُ تَأْتِيْفِ عَثْمَانَ in cujus extrema parte, se hunc Q. ipsum scripsisse, dixit ³⁾.

Itaque fieri potest, ut etiam nunc in Asia vet in Africa exstet Qorānus, a vulgari discrepans. وَاللّٰهُ اَعْلَمُ.

1) Ut Q. pars Kufica apud Niebuhrium (tab. IV), in qua tamen, ut apud De Sacy (Grammaire I tab. III), Adlerum (descriptio codd. Cufic.), Koppium (Bilder u. Schriften d. Vorzeit p. 287) et *omnia* fragmenta, quae Moeller edidit, versus distincti sunt.

2) Opinionem Abu 'Amri, qui 'Otmānum 7 exemplaria fecisse putat, ex quibus septem editiones posteriores orientur, jam de Sacy refutavit. Not. et extr. 8, 301 sq.

3) v. Hammer Gesch. d. Arab. Litt. I, p. 169 et accuratius Weil. Chalifen I, 169.

Navavi hunc 'Uqbam fuisse dicit مِنْ اَحْسَنِ النَّاسِ صَوْتًا بِالْقُرْآنِ (p. 426).

A D D E N D A.

Ad p. 9 lin. 16 sqq. Ex his verbis nihil concludere licet. كَتَبَ كِتَابًا est: „scripsit epistolam,“ ita quidem, ut non explicetur, utrum sua manu an per alium hominem verba sua litteris mandaverit. Ita apud Ibn Sa'd saepe de M. legitur كَتَبَ كِتَابًا; quin nonnunquam additur nomen scribae, ita ut dicat كَتَبَ صَالِعَمٌ et postea addat وَكَتَبَ فُلَانٌ. Quod igitur in lin. 21 de libro ad Jamanenses misso suspicatus sum, non verum est, praesertim quum hic ipse ab Ibn Sa'd commemoretur.

Ad p. 10 annot. 3. Etiam apud Shahrastani Ibn Abbas hujus narrationis auctor appellatur (I, 11).

Ad p. 12 lin. 11. Cum vocis اسطرورة forma cfr. اُنشودةٌ et اُحدونه, quibus similis est significatio.

Ad p. 14 ann. 4. De 'Addaso Ninivita nonnulla leguntur apud Ibn Hisham, qui, eum *semel* cum M. in urbe Taif convenisse, narrat, nec eum monachum appellat.

Ad p. 14 ann. 10. Adde locos Joh. 14, 16 et 15, 26. Apud Ibn Hisham exstant Joh. 15, 24 sqq., parum accurate ex Syriaco in Arabicum conversi, in quibus pro Paraclete legitur اَلْمُخَمَّنَا (alius codex habet اَلْمُخَمَّنَا). Ibn Ishaq hoc apud Syros, ut بِرَقْلِيْطٍ apud Romanos (h. e. Graecos), significare dicit idem, quod مُحَمَّدٌ. Externa soni similitudine in errorem inductus est. Sed illud verbum laud dubie est Syr. صَدَدِيْطِيْ. quo versio, nobis incognita, παρακλ. expressit. — Shahrastani legit فارقليطا (I, 167). Haec omnia cum περικλ. nihil commune habent.

Ad p. 58 ann. 5. Verba اَبْصَرَ بِهِ وَاَسْمَعُ a me falso explicata sunt. Nam cum B. vertenda sunt: „summa in eo est perspicendi et audiendi facultas.“ (Cfr. de Sacy Gram. Arab. I. §. 588; Ew. Gram. Arab. II, p. 222).

Addere possumus nonnulla alia, quae apud Ibn Hisham et Ibn Sa'd de complurium locorum origine invenimus, sed, quum veri nihil contineant, ea afferre non necessarium habemus.
